9.7.37

Digitized by Google

A-1

LIBELLVS
DE
ELLIPSIBVS
LATINIS

AD DVCTVM SANCTII IN MI-
NERVA EIVSQVE COMMENTATORVM, PE-
RIZONII POTISSIMVM, POLITIORIS LA-
TINITATIS STVDIOSORVM VSV
FACILIORI ACCOMMO-
DATVS,

ET

PRAEFATIONE
DVPLICEQVE INDICE
INSTRVCTVS
A

IOANNE FRID. GRIMM,
GYMNASII ISENACENSIS CONRECTORE.

FRANCOFVRTI & LIPSIAE

IMPENSIS MICHAEL. GOTTL. GRIESBACHII,
BIBLIOPOLÆ ISENACENSIS
1743.

Digitized by Google

VIRO
SVMME REVERENDO
EXCELLENTISSIMO
DOCTISSIMO

CHRISTOPHORO AVGVSTO HEVMANNO,

IN ACADEMIA GOETTINGENSI
S. LITERARVM DOCTORI ET
PROFESSORI PVBLICO

NEC NON

HIST. LITERAR. PROFESSORI ORDIN.
LONGE MERITISSIMO CELEBERRIMO

S. D.

Ioannes Fridericus Grimm.

FLORENTINAE·BIBLIOT·NA

TIBI, VIR SVMME REVERENDE, quod nunc tranſmitto, me acceptum ferre, hiſce profiteor. Abs TE primo, *quem* mihi vltra triennium, DEI beneficio, in illuſtri Gymnaſii noſtrate, auctores publice priuatimque interpre-

pretantem olim audire contigit, Ellipſium figuram obſeruare, quam neceſſarium ſit, didici. Quumque ante aliquot annos operam meam in conſcribenda earum copia ſummatim TIBI ſignificarem, calculum mihi adiicere TIBI placuit. Quod quum viderem, feci, quantum potui, atque vt conatus hic non plane TIBI diſpliceat, ingenio meo parum confiſus, ſi ſperare minus poſſum, optaui: iamque, re, etſi tenuiſſima, gratum erga TE animum meum teſtatum eſſe volui. Id quod ne indigne feras, quamuis

incolumitatem TIBI adprecatus peto, obſecro. Iſenaci d. III. Cal. Martii A. S. MDCCXXXXIII.

Præ-

PRÆFATIO.

EOrum cauſſa, quibus fere inu. tile videtur hoc inſtitutum, quæ SANCTIVS ſubtilius differit de neceſſitate huius doctrinæ, primo adſcribere mens erat mihi, ſed cum in eo, quod minus dubitatur, longus eſt, vt dari Ellipſes evincat: alterum ego, quod magis neceſſarium, paucis docebo, diligentiori nimirum obſeruatione earum opus eſſe iis, qui præter vulgarem vſum, in Latium tranſire, nec ſuperficiario tantum modo, cultiſſimæ huius linguæ cognitione imbui cogitant. In hiſce duo-

 bus

bus enim caput rei conſiſtit: *Dari Ellipſes, ſive grammaticas ſive logicas, easque eſſe obſeruatu neceſſarias.*

Prius qui negare voluerit, naturæ vocum & formularum plurimarum contradiceret. Quippe haud raro, ut de grammaticis primo admoneam, adiectiua reperiuntur abſolute poſita, quorum ſenſus, vt integer habeatur, ſubſtantiua reſpicit, idque eo magis, cum addita haud raro leguntur. Sic verba occurrunt, ad quæ, niſi inepte dicta velimus, caſum nominis conuenientem pertinere, concedendum eſt. Quoties quæſo verbum aliquod rectum poſitum vides, cui regens alterum ſubeſſe oportet? accuratius enim de natura linguæ cogitanti non ſufficit e. g. figuram illam Enallagen tantum allegaſſe, qua infinitum modum pro finito vſurpari creditur; nec aliter de particulis pluribus judicari poteſt. De logicis illis res æque certa

eſt,

eſt, niſi inepte ſubiectum ſine prædicato, aut hoc ſine illo, ſalua oratione, percipi dicas. Innumeræ denique propoſitiones addi debent, quas non vbique filum orationis continet.

Quodſi dantur Ellipſes, quid ordine, quod alterum eſt, eas exponere vetat? immo ieiuna & imperfecta ſine hoc ſtudio lingua erit, cuius plenior omnino & ſolidior notitia decet eruditos. Facile quidem tali opera caruerunt veteres Romani. Nam patri illis erat, & quaſi innata lingua, cuius rationi intelligendæ non magis operæ impendere ſolebant, quam nos vernaculæ noſtræ. Cum vero a multis iam ſeculis viua ſiue familiaris eſſe deſiit: hoc etiam modo ab inferis eſt reuocanda. De omnibus noſtris grammaticis regulis æque minus cogitarunt, feliciori iſto ſermonis æuo, quo vſus interpretis vices ſuſtinuit. Quis vero propterea hodie neglectum

earum probabit? Ex ſono auribus illi ſyllabarum ſtatim quantitatem capiebant: num vero nobis, qui primos iſtos lectores non audimus, tam felicibus eſſe contingit? longiore, credo, inſtitutione demum nouimus, quando corripienda ſit vox vel producenda. Immo nemo arti ſuæ iam adſuetus, de regularum & præceptorum, dum exercet eam, memoria laborioſe erit ſolicitus: ſed nemo prudens primum earum ſtudium & notitiam nullius commodi eſſe, adfirmabit. Aliorum, quæ ſententiam noſtram iuuant, exempla non vrgeo, quæ tamen diu multumque laudata ſunt, Flacii, Glaſſii, Danzii, qui ſanctiori linguæ addiſcendæ non male hac quoque parte conſulunt; ex græcis Lamberti Boſii, qui ſingulari opuſculo, Lipſiæ nouiſſime recuſo, contexuit, quod illi particulatim dederunt.

Nec latinæ linguæ Grammatici ſpecioſum

ciosum Ellipticarum locutionum nume-rum colligere nihili putarunt. Noſtrum etſi non eodem, ſimili tamen aliquo modo vſui fore literatæ iuuentuti conatum exiſtimauimus. Non exigua igitur earum copia ex propria auctorum lectione comparata, pleniorem meſſem libello noſtro fecit *Sanctius* in Minerua, quæ quidem poſt Scioppium, famigeratiſſimum hominem, cum doctiſſimis Perizonii adnotamentis apud Batauos prodiit. Plurima loca hic vides, neque tamen hisce plura addi poſſe, nego: vti nec vitio mihi vertet æquus lector, ſi plura paſſim offendit, quam probationi poterant ſufficere. Ne aliorum operam temere videar imminuiſſe, cumulata etiam, quæ quidem ad propoſitum faciebant, retinui. Vbique vero, vt ſuum cuique tribuatur, adieci primam nominis literam, S. Sanctii; Sc: Sciopii; P. Perizonii. Sic & nomen meum ſignificaui, vbi ab illis obſeruata

præ-

præmiſeram aut ſubſcripſeram, prætermiſſum, vbi nullus confuſionis error. Si quæ harum notarum alienum locum occupat, me, qui abſens Typothetam mature monere non potui, inuito id factum eſſe, ex errorum indice in calce poſito, facile intelligitur, quo & reliquos, quos quidem MSto deſtituti obſeruare poteramus, adnotauimus. Placeat erudito lectori, quantum ſaltim iuuentuti non inutile iudicabit, opuſculum hoc commendatum ſibi habere.

(o)

Pro-

Prodromus Ellipſium.

I. De natura & regulis Ellipſium.

CVM non ad voces ſolum, ſed & ad propoſitiones præſens figura pertinet: hæc definitio nobis transſcribitur, eſſe eam defectionem ſiue omiſſionem dictionis genio linguæ conuenientem. Idque genio linguæ conuenire cenſeo, quod lectoris, linguæ quidem non imperiti, menti ſeſe offert ſupplendum: dum vel Syntaxis ratio plenius docet; vel alibi expreſſe legitur; vel ſtructura ſermonis; vel denique ſymbolum ſ. imago; quod deſideratur, exhibet. Cuiusmodi dicendi formulæ non uni ſed pluribus, melioris notæ autoribus vſu ſunt receptæ. Cuiusque generis exempla duplici nomine notaui, ſcilicet grammaticarum & logicarum. Regulæ autem tanquam Ellipſium characteres ſequentes habentur.

I. Nominatiuus ante verbum finitum ſæpe omit-

omittitur, e. g. Propert. L. II. El. V. ſ. it. VI. *non ita complebant Ephyreæ Laidos ædes*, deeſt, *amatores*. Catull. Carm. II. 7. *vt ſolatiolum ſui doloris credunt*, deeſt, *homines*. *Pluit*, *tonitruat*, cet. ſcil. *cælum*.

II. Idem ſtatuendum de accuſatiuo verbi infiniti, pronomen perſonale ſæpe reſpicientis, e. g. Terent. Andr. II. III. 27. *Pollicitus ſum facturum*, deeſt, *me*. Liu. II. 23. *noſcitabatur tanta deformitate*, *& ordinis duxiſſe ajebant*, deeſt, *eum*. Brut. ap. Cic. XI. Fam. 3. *Quodſi indignaris, auſos eſſe*, deeſt, *nos id facere*.

III. Genitiuus partitiuorum eſt ellipticus, formatus a vocibus, vnus, ex numero cet. Cic. II. de offic. *ſed omnium ſocietatum nulla firmior*. Plaut. Prol. Caſin. 15. *nam juniorum qui ſunt, non norunt, ſcio*. Mart. *cenſor maxime*, *principumque princeps*. Conf. Cæſar. . . *ex numero aduerſariorum circiter ſexcentis interfectis*. Cic. II. de re agrar. *quorum ex numero, qui per*

per eos annos conſules fuerunt, multi mortui ſunt. Val. Max. L. V. Cap. 4. *cum vnus e numero Perſarum idem* cet. Cic. II. de fin. *quorum e numero primus eſt auſus?*

IV. Subſtantiuum per appoſitionem alteri ſubſtantiuo aptandum omittitur ante genitiuum nominis proprii. Virg. VI. Æn. 244. *Deiphobe Glauci,* deeſt, *filia.* id. Æn. III. 175. 319. *Hectoris Andromache,* ſcil. *vxor.* Plaut. II. Curcul. I. 15. *eſtne hic Palinurus Phaedro mi?* deeſt, *ſeruus.*

V. Subſtantiuum præpoſitioni debitum omittitur. Cic. XIV. Fam. 2. *ad me P. Valerius, homo officioſus ſcripſit, quemadmodum a Veſtæ ad tabulam Valeriam ducta eſſes,* a Veſtæ deeſt, æde. Ter. Adelph. IV. II. 43. *vbi ad Dianæ veneris.* Liu. I. c. 41. *habitabat Rex ad Iouis Statoris,* deeſt, *ædem.*

VI. Omittitur accuſatiuus poſt verbum finitum actiuum. Sic *mitto* abſolute ponitur per Ellipſin accuſatiui perſonæ. Ter. Eun. III. III. 22. *miſit porro orare, vt ad ſe ve-*

veniam. Cic. Attic. III. Ep. 8. *itaque obuiam illi miſimus Athenas.* Plaut. Aul. I. II. 3. *redi nunc iam intro, atque intus ſerua,* deeſt, *rem.*

VII. Omittitur ſubſtantiuum adiectiuo aptandum, ſequente genitiuo. Horat. Od. 10. *ſuperis Deorum gratus & imis,* deeſt, *Diis.* Stat. I. Theb. v. 606. *ſeque vltro lectis iuuenum, qui robore primi famam poſt habita faciles extendere vita obtulit.* Plin. H. N. XI. 50. *canum degeneres caudum ſub aluum deflectunt.* Conf. Ter. Phorm. V. VI. 14. *omnium, quantum eſt, qui viuunt, hominum homo ornatiſſime.* Cic. pro Mil. *Cæſaris potentiam ſuam potentiam eſſe dicebat.* id. pro Marc. *tua enim cautio noſtra cautio eſt.*

VIII. Adiectiuum, pronomen & participium, abſolute poſitum, ſubſtantiuum reſpicit, ex textu, vel re nata ſupplendum. Phædr. L. V. ad partic. v. 6. *vt illum ipſum,* ſcil. *artificem.* ibid. Fab. I. 6. *tacite gementes* ſcil. *principes.* Cicer. Famil. II. Epiſt. 6.

ſed

ſed quia tua in me ſc. *beneficia.* ibid. *qui ſi ex omnibus unus optandus eſſet* ſc. *dux & auctor.* Nep. in Tim. cap. I. *multa huius ſcil. Timothei.* id. in Datam. c. VIII. *ex græcia conductorum* ſcil. *militum.*

IX. Verba occurrunt, quæ nomen, & nomimina, quæ verbum ſenſu cognatum reſpiciunt; e. g. *candelam accendere*, deeſt; *igne.* it. *ſcribere*, deeſt; *literas.* it. *gratias agere*, deeſt, *verbis.* Cic. L. II. Fam. ep. 9. *ego voluptatem animo nimiam*, ſc. *ſentio.*

X. Non unum, ſed plura interdum verba, atque integrum orationis membrum ſ. propoſitio eſt repetenda. Cic. Fam. XVI. ep. 19 *oculos paullum ſuſtulerunt*, ſc. *literulæ meæ.* ibid. *ſcio tibi curæ eſſe*, ſc. *Aufidianum nomen.* Curt. L. VI. c. XI. 14. *& ille, i. e. Philotas ultro, quid ceſſatis, inquit, Regis inimicum, interfectorem, confitentem occidere? quid quæſtione opus eſt?*

cogitaui, volui, ſupple, inſidias, quarum accuſor, Regi comparare. Quæ vt rectius intelligantur, obſeruandum eſt amplius.

XI. Subiecto ſi prædicatum, & prædicato ſubiectum addendum eſt; vel textu, vel ſenſu, ea ſunt eruenda. deeſt autem prædicatum ſi adſit ſubiectum, ſ. nomen ſolum: vice verſa, ſubiectum deeſt, ſi adſit prædicatum, vel verbum ſolum. Utraque ne inepte addantur, talia ſubiecta eſſe, cogita, qualia permittuntur a ſuis prædicatis, & v. v.

XII. Verbum ſuppletur, ſi ſubſequens, vel proxime antecedens, repetatur, tempore quidem & perſona conuenientibus.

XIII. Ellipſes huiusmodi in ſententiis ſunt frequentiſſimæ i. e. in formulis, quæ paucis multa dicunt.

XIV. Interdum ſententiæ imaginibus ſunt adſcriptæ, haud obſcuri earum interpretes. Quia vero Symbolicæ huiusmodi imagines plu-

plures figuras ſimul exhibent: illam, quæ præcipua eſt, ſenſui inſervire, obſerues.

XV. Præcipua in ſymbolica imagine figura eſt, propter quam reliquæ ſunt appoſitæ e. g. Symbolum apud Typotium exhibetur, ita, vt de globo terræ aquila ſolem verſus evolet, hisce verbis: altiora petit. Conſpiciuntur ibi, ſol, aquila, terra. Solem per altiora indicari, vides; terram vero præcipuam figuram non eſſe, ex verbo, petit, intelligitur, quippe quam in altum tendere non videmus. Supereſt, *aquila*, de qua denique verbum rectiſſime prædicatur.

Quemadmodum igitur vbi nullus horum characterum adparet, Ellipſis non eſt: Sic quoque huius figuræ nomine indignum eſt, quidquid probatæ latinitatis autoribus non eſt probatum. Neque proinde Ellipſes ſunt, quæ error ſcriptoris, vel temporum injuria monumentorum integritati ſubtraxit.

 Tan-

Tantum enim abeſt, vt conueniant, vt mutilent potius atque obſcuriorem reddant orationem. Longe verior ipſorum titulus erit: defectus librorum, cujusmodi defectus ſuſpicio viris, de rei literariæ antiqua perfectione nimium perſuaſis, facile venit in mentem, maxime ſi ex ea fere, quam ipſimet adhibent in ſcribendo diligentiam, aliorum etiam operam metiuntur: Quamquam hic quoque fruſtra eſt nonnumquam defectus ſuſpicio, quod paucis oſtendam, Cic. L. II. Fam. Ep. 14. rarius Epiſtolarum initium perſuaſit Victorio, vt plane illud exulaſſe, crediderit. Sed qui pleniorem titulum inſpexerit, hunc locum minime exiſtimabit ἀκέφαλον. Ex eo enim recte ſic fluit oratio: *ICtum te nomino. Cur enim hoc tibi non gratificer?* ſcil. *vt hunc tibi honorem tribuam.* Quare etiam Lipſius aliquoties ab inſcriptione epiſtolas incipit, e. gr. Cent. I. Ep. VI. it. Ep. XIII. & XVI.

Nec aliter ſentio de Cic. L. II. Ep. XIII. n. 17. ad Lentul. *habes de Vatinio, cognoſce de Craſſo.* Claudit nimirum narrationem lon-

longiuſculam verbo, *habes*, pro quaſi intelligeretur diuerſa, eſſet, *mitto*. longior ſane eſt epiſtola, quam defectus probabilior. atque ex antecedentibus, puto, autor vult intelligi, quæ a ſe perfecta, quæque inſtituta ſint, hæc commentarii inſtar erant, vt alium mitti non opus eſſet de actis & agendis pro Appio, quod in ſequentibus ita innuit: accepiſti, quibus rebus adductus quamque rem, cauſamque defenderim. conf. id. Fam. XII. Ep. 2. fin.

Non agimus denique de occultis in oratione, quæ olim quidem perſpicua, quorum vero hodie inueſtigatio caret ſucceſſu, e. g. Ouid. L. VI. Triſt. El. 4. qua amicum prædicat hominibus ſui æui facile cognoſcendum: ſed noſtræ ætatis dicat aliquis, quis ſit iſte, cuius ſigna nominis loco Vates poſuerat, & erit Apollo. Eiusdem generis ſunt Phædr. L. V. F. V. ſcurra & ruſticus cum diuite nobili; L. IV. F. IV. pater tres relinquens filias; L. III. F. XI. Eunuchus cum improbo litigans; L. I. F. XIV. Malus ſutor medicinam faciens; L. III. F. X.

de credere & non credere, quod poſterius ſua ætate factum, poeta dicit. Huius ignorantiæ, minime turpis, tot habentur exempla, quot in Comicorum ſcenis perſonæ prodeunt. Quis enim ſapientes iſtos auditores ſuos, incertos & indoctos reliquiſſe, credat, quum vel hodie videas, quibus iſta commode adplicentur? Sic & certos homines autoribus illis occaſionem dicendi dediſſe credimus. Itaque æqualium adfectus, quia quæ volebant poetæ, non audebant dicere tecto nomine eluſere, Simonis e. g. apud Terent. Soſiæ, Daui. Nemo itaque occultorum ſenſum vbique ab ſe erui poſſe exiſtimet. Literatiſſimus quisque potius hic quoque fatetur: Multum eſt, quod neſcimus! neque tamen ignorantiæ aſylum ideo quisquam ſibi exſtructum putet, ad occulta referendo temere, quæ ſuæ vel alterius cognitioni non patent illico. Sua cuique potius inſcitia diligentioris lectionis monitor ſit, ſique diligentiori conſiderati one æque minus proficiat: tum vero plus oculos videre meminerit, quam oculum.

II. De

*
* *

II. De Locis et Fontibus Ellipſium.

PRimum habemus breuitatis ſtudium, Horatio olim laudatum Lib. I. Sat. X. 9. ſ. *Eſt breuitate opus, vt currat ſententia nec ſe impediat verbis laſſas onerantibus aures.* Non ſolum ad vitandum κακοφωνίαν, ſed vt temporis etiam ratio habeatur, breuitate opus eſt. De illa, quam pro neceſſitate doctrinæ huius intelligenda allegat, ad nauſeam vsque dixit Sanctius. exemplum de pluribus vnum protuliſſe ſufficiat. Terent. Heaut. *vel me monere hoc, vel percontari, puta. rectum eſt, ego vt faciam, non vt deterream.* Figura neglecta, hoc ita profertur: *O! Menedeme vel tu puta monere tibi hoc negotium; vel tu puta,*

 me

me a te hoc negotium percontari : quia ſi hoc negotium , quod negotium ego abs te rogo , rectum negotium eſt , ideote illud ego negotium rogo , vt ego idem negotium faciam. at vero ſi hoc negotium, quod negotium tu facis , rectum negotium non eſt , hac quoque de cauſſa iſtud negotium ego a te rogo , vt ego te ab illo negotio deterream. Recte quidem ſic eludit S. inſuetam vocem. Sed propter temporis caritatem hac figura etiam opus erat. Plura nobis, vt paucis multa dicam , agenda ſunt in hac vita , quam vt legamus, quam vt audiamus , reliquis quoque ſenſibus , hominibus , aliisque rebus dandum eſt aliquid. Et quotusquisque lumbis tam firmatis eſt , vt perpetuum verborum ſonum edere valeat. Vti vero hunc fontem de Laconico quorumdam dicendi genere accipi non volo : ſic nec Aſiaticum ſermonem hic impugno. Non enim Elliptice ſemper loquitur , qui Laconice ; nec Aſiatici Ellipſes vbique negligunt. Breuitatis ſtu-

ſtudium id iubet vnice, vt ne dicamus quæ aliunde poſſunt capi.

Fontem II. metrum dico poeticum, quod præter certum ſyllabarum numerum nec plures admittit, nec pauciores. Hinc frequentiores in metricis, quam in proſaici Ellipſes; namque repleto iſto, reliqua xulent neceſſe eſt, quantum vis ad ſenſu neceſſaria, e. gr. Phædr. L. III. Fab. VIII *accipiens*, (*quid enim?*) *cuncta in co tumeliam*. Manca hic eſt parentheſis, n ſi addideris: *magis acciperet?* qua de cauſſa omnino literarum ſtudioſum noſſe decet, quo modulo quisque poetarum cecinerit: ne, quæ indocta manu deformata, pro vera lectione habeat; aut ipſe, vbi deſunt quædam, plura addendo limites carminis transgrediatur. Virgilii atque Ouidii genera notiora ſunt, quam vt figuræ typo opus ſit; Horatii non item, aliter atqve alitor hic modulatur, vicibus circiter vnde viginti, quos quum non cuiusque ſit indagare, præter alia hoc nomine commentan-

dum eſt Bondi exemplar excuſum Amſtelrodami A. MDCLVIII.

III. Non paucæ porro tribuendæ ſunt adfectuum vehementiæ, qua ſupprimuntur modo, modo cumulantur ſua ſponte partes orationis. Teſtem habeo experientiam. De metu, e. g. Aeneas apud Virgil. Aen. II. 774. *Obſtupui, ſteteruntque comæ, vox faucibus hæſit.* Quodſi metus præcludit vocem: quidni ellipticum etiam ſermonem efficeret? Lege Darii, vel potius Curtii orationem Alexandro irati L. IV. c. V. 2. *Si forte dubitaret, quod offerretur, accipere; nunquam diu eodem veſtigio ſtare fortunam.* Quis nexus interrupti cauſſam adfectum hic non intelligit? ſtatim mens ſibi conſtans poſt accipere deſiderat: *meminerit, ſe dicere.* vel ſimile quid. Aliud atque manifeſtum ex ira Ellipſis exemplum ſeſe offert Virgil. I. Aen. 139. vbi ex abrupto: *Quos ego. Sed motos præſtat componere fluctus.* qui τὸ πάθος hic negligit, ſen-

ſenſum non videt: Neptuni vero ira ſuppoſita, vulgaris minitantium vox facile agnoſcitur, qua noſtrates etiam dicunt: Ich will dich! ſupplementum ſi velis, erit; *ſumma vi illos ſ. vos compoſcerem.* Ideo obſeruandum hoc arbitror, vt quam neceſſarium ſit, adpareat, interpreti, loquentis adfectum imitari, ſi plene percipi debeat. quumque minus exercitati raro eius gnari ſint: etiam atque etiam curet præceptor, vt, vbi horum lingua accentu cadit, ſuam τῷ πάϑει adcommodando ſenſum auctoris doceat.

IV. Interdum, vt ad quartum, quæ eſt prudentia oratoris, progrediar, ſignum tantum ſermonis edunt, vel aliqua parte propoſitionis, vel ſibilo duntaxat, paucis multa in memoriam reuocando, vbi rem clarius exponere minus conſultum erat. Id non vna vice a Cicerone factum, e.g. Cic. XII. Fam. Ep. 6. *Ego vix teneor, quin adcurram. ſed St! literas tuas exſpecto.* Quomodo accurrens Cicero reſiſteret Cæſari; ex ſimultatibus inter eos Tironi coniectu non erat difficile.

Si

Si quis hunc locum per, SI, emendandum eſſe contenderet, non diſputarim; dantur enim plura huius generis, de quibus plane non eſt dubium. Vnum adhuc ex Terentio addo, Phorm. V. I. 17. *non is, obſecro, es, quem ſemper te eſſe, dictitaſti?* Chr. St! Hinc figuræ nomen, Reticentia, ortum ſcriptoribus vſitatæ.

V. Lapſus denique memoriæ ſequatur, quem qui imbecillitate huius facultatis laborant, non ſoli experiuntur, etiam tenaciori præditi, quorum mens, dum rerum ſeriei intenta, verborum compagem obliuiſcitur. Ciceroni, oratori facile principi, ni fallor, hoc contigit, orat. pro Dom. ad pontif. c. 57. *Vos obteſtor - - vt ſi in illo paene fato reipublicæ obieci meum caput pro veſtris cerimoniis atque templis*. Fruſtra hic eſt, *vt*, niſi verbum ſequatur, v. g. *reſpiciatis*; it. Tuſcul. quæſt. IV. cap. 8. *Vt pudorem rubor, terrorem pallor & tremor, & dentium crepitus conſequatur.* Aut hic fallit oratio, aut poſt rubor inferen-

rendum, *ita*. Ceterum ita comparatæ ſunt, quæ ex hoc fonte oriuntur Ellipſes, vt ægre inter virtutes eloquentiæ referri poſſe videantur: ſed non obſtat hoc, quo minus cum Pæaniſmo & execratione, qui non meliores audiunt, æque figuræ nomen obtineant huiusmodi loquendi formulæ.

[illegible]



PARS I.
De Ellipſibus grammaticis.
CAP. I.
De Ellipſibus nominum.

ACINVS, VM.

Colligere *vinatea, vel vinaceos*, tritum eſt apud auctores rei ruſticae, ſubaudi, *acinos*, Cic. Seneɶ. *aut ex acino vinaceo*. S.

ACCIPITER.

Stellaris, aſterias, hierax rubetarius, haliaetus, fringillaris, tertiolus, triorches, ſubauditur, accipiter *vel* falco. S.

ACTOR.

Plin. L. VII. *Spinther ſecundarum, tertiarumque pamphilus*, deeſt, actor. S.

Val. Max. IX. XIV. 4. *Alter ex quodam ſecundarum cognomen Spintheris traxit; al-*

ter, niſi Nepotis a moribus accepiſſet, Pamphili tertiarum habuiſſet. P.

AEDES.

Deeſt 1. in genitiuis Deorum. Ter. Adelph. *vbi ad Dianae Veneris*; Horat. I. Serm. *ventum erat ad Veſtae*, ſubaudi, aedem. S.

Sic Liu. I. 33. *quibus ad Murciae datae ſedes*; Cap. 41. *habitabat rex ad Iouis Statoris*; Cic. pro Mil. *cum falcibus ad Caſtoris*; Famil. XIV. Ep. 2. *quemadmodum a Veſtae ad tabulam Valeriam ducta eſſes.* G.

Liu. I. c. 51. *vt primo pugnatum ad Spei sit.*

Additur, Cic. in Catil. or. II. c. 6. *Senatum in aedem Iouis vocaui*; Catil. III. 9. *in aedem Concordiae.* S.

Plaut. Bacch. *quin ipſa in aede Dianae conditum eſt*; Cic. Philipp. *qui maximo te aere alieno ad aedem Opis liberaſti.*

2. *in* voce *domi*, Cic. in Verr. I. 17. *domi iſta nobis naſcuntur*; Nep. Dion. IX. 1. *quum a conuentu remotum ſe Dion domi teneret*; Plaut. Mil. II. II. 36. 39. *domi habet animum falſiloquum, domi dolos, domi delenifica facta, domi fallacias. cet.* G.

Plene Plaut. Caſ. III. V. 31. *inſectatur omnes domi per aedes*; atque hinc rationem huius Ellipſis Sanctius petit ex antiqua ſignifica-

catione, qua aedes erant partes domus. Domus totum inquit, eſt, aedes vero pars illa domi, in qua ſunt cubicula.

AES.

Ellipſ. *in acceptum & expenſum*, Cic. in Verr. de præt. vrb. orat. I. c. 39. *Satis te elapſurum omni ſuſpicione arbitrabare, ſi quibus pecuniam credebas, iis expenſum non referres; cum tot ibi nominibus acceptum Curtii referrent? Quid proderat tibi, te expenſum illis non tuliſſe?* Porro Plaut. Moſtell. I. III. 145. *Ratio accepti & expenſi conſtat.* it. Cic. XIII. Attic. Ep. 10. *Soluendo enim non erat.* S.

Suppleatur, uti Colum. III. c. 3. *Quem vulgus parui* aeris *poſſe comparari putat.* S.

Liuius: *Quum & priuati equum poſtularent, nec tamen ſoluendo* aeri *alieno res publ. eſſet.*

AETAS.

Subintelligitur in adiectiuis: decrepita, prouecta, ingrauescens, cet. Plin. L. II. Hiſt. Nat. c. vlt. *Senecta diem obiit.* Varr. II. 7. *Videndum, ne ſint minores trimae; maiores, decem annorum;* id. I. c. c. 2. *caſtrare opertet agnum non minorem quinque menſium.*

Additum legitur Cic. I. Tuſc. 94. *Ex his igi-*

tur, quae hora octaua mortua eſt, prouecta ætate, *mortua eſt, quæ vero occidente ſole*, decrepita; Plaut. Amph. IV. II. 13. *Senecta* in ætate *a me mendicas malum*; id. Trinum. I. II. 5. *Hic ille eſt, ſenecta ætate qui factus eſt puer.*

2. *In verbo agere* abſolute poſito. Tacitus Annal. III. c. XIX. 2. *Apud illos homines, qui tum agebant*; Virg. V. Aen. 51. *Getulis agerem ſi Syrtibus exul.* Conjunctim habetur Cic. de Leg. II. 1. *Hic fere ætatem egit in literis*; Terent. Hecyr. II. I. 10. *itaque vna inter nos agere ætatem liceat.* G.

ALIMENTVM.

In diarium, menſtruum, adiectiuis, Martial. Epigr. L. XI. Epigr. 109. *Sed lupus vſuram puerique diaria poſcunt*; Petron. c. XXIV. *Hodie poſt aſellum diaria non ſumo*; Liu. XXXIV. c. 2. *Conſul, menſtruum iuſſo milite ſecum ferre, profectus.* S.

Plenius Cic. in Verr. V. c. 30. *Cibaria menſtrua*; id. pro Roſc. c. 3. *Ratio menſtrua*; id. de Nat. deor. I. 31. *Menſtruum ſpatium. Quid igitur aliud conuenit* Liuio l. c. *quam: alimentum.* G.

ALIQVIS.

Deſideratur ante relativum *qui*, Hor. I, od. I. 3.

Sunt

Sunt, quos curriculo puluerem Olympicum collegiſſe iuuat. Saluſt. Catil. c. 2. *Fuere ea tempeſtate, qui dicerent.*

Pro diuerſitate generis & numeri in definitum relatiuo pronomini præmittendum.

AMICVS.

Referri poteſt ad phraſin: *partium alicuius eſſe.* Nep. in Attic. VI. 1. *Vt ſemper optimarum & eſſet & exiſtimaretur*, i. amicus; it. Ouid. L. III. Triſt. El. V. 10. *Quod Veterum* (amicorum) *miſero vix duo tresue mihi.* Nominis enim, non verbi eſſe hanc ſyntaxin, verius dicitur. Vide infra: Socius, Vir.

AMNIS.

In fluuius & fluuia hoc requiritur, quia communis generis apud antiquos. Vti autem a pluo pluuius & pluuia, ſic a fluo fluuius & fluuia. Tibull. I. VII. 11. *Teſtis Arar, Rhodanusque celer, magnusque Garumna*; Siſinna apud Nouium III 100. *Oppidum inter duas fluuias collocatum, & transgreſſus fluuiam, quæ ad mare pertinebat.* conf. Plaut. Merc. V. II. 18. *Nec vlla mihi obſtabit amnis.* Virg. L. VII. Aen. v. 516. *Audiit amnis Sulphurea, Nar albus aqua, fonteſque Velini,*

 id.

id. XI. 405. *Amnis & Adriacas retro fugit Aufidus vndas;* Curt. L. III. c. IV. 7. *Pyramus & Cydnus incluti amnes fluunt.*

Angvis.

Serpens adiectiuum eſt a ſerpo. *Hinc* Ouid. I. Metam. v. 446. *inſtituit ludos Pythia de domitæ ſerpentis nomine dictos.* S.

Lucan. VI. 491. *Humanoque cadit ſerpens adflata veneno.* Nep. XXIII. x. 4. *imperauit, quamplurimas venenatas ſerpentes viuas colligit.* Confirmatur adiectiuum: Plaut. Aſin. III. III. 105. *Fac proſerpentem beſtiam me.* Cic. de Senect. c. XV. *Vitem ſerpentem multiplici lapsu coercere.* id. in Catil. IV. 3. *Malum obſcure ſerpens multas prouincias occupauit.* G.

Animal.

Tacit. Annal. I. c. XLVI. 1. *dum patres & plebem inualida & inermia* (ſupple *animalia*) *cunctatione ficta ludificetur.* Virg. IV. Aen. v. 569. *varium & immutabile ſemper femina.* id. Eccl. III. 80. *Triſte lupus ſtabulis. Sed* h. l. idem valet *negotium.* Phaedr. L. I. Fab. XII. 9. *Silua tum excepit ferum.*

Animvs.

Verbis: *attendere, intendere, item inuadere* de-

deberur abſolute poſitis. Terent. Phorm. V. VII. 28. *ita* animum *cœpi attendere.* Cic. de leg. agr. II. 15. *Sed attendite* animos *ad ea, quae conſequuntur;* Hor. L. I. Ep. II. 35. *Si non intendas* animum *ſtudiis & rebus honeſtis;* Liu. in præf. *Ad illa pro ſe quisque acriter intendat* animum, *quæ vita, qui mores fuerint.* Saluſt. in Jugurth. c. XLIII. *Ad bellum, quod geſturus erat,* animum *intendit.*

Sic & Saluſt. l. c. c. XXV. *Neque quod intenderat, efficere poteſt.* Terent. Hecyr. III. II. 21. *An dolor repente inuaſit.* Liu. XXXVI. 45. *Effuſe fugere intendit; adde* Horat. I. Ep. II. v. 49. *Valeat poſſeſſor oportet,* ſcil. animo.

Annvs.

Huius pluralis conuenit formulæ iſti prouerbiali: *A teneris,* cui Cicero ex græco addit; *Vnguiculis.* L. I. Ep. VI. *Qui mihi a teneris, vt græci dicunt vnguiculis, es cognitus.*

In deſignatione temporis poſt diem & menſem, reliquus numerus annum ſignificat, *vt: d. XXXI. Maji* cIↄ Iↄccxxxxii. ſcil. anno.

Anus.

In auia, quod adiectiuum eſſe vides. Curt. III. XI. 25. *At ingremio anus auiæ iacebant, cet.*

Aptus.

Addatur hoc vel *idoneus*, vel *adcommodatus.* Cic. II. Philip. 2. *Nec tu ſoluendo eras*, ſubaudi: *aptus*, Integrum eſt: *Nec tu ſoluendo aeri alieno ſufficiens eras*; Plin. *Ferrum non eſt tundendo. Radix eius veſcendo non eſt, i. e. eſui apta.* S.

Gell. IV. c. 1. fin. *Scio Helio placuiſſe, non quæ eſui & potui forent*, ſcil. *apta*. Liu. V. VI. 15. *Etſi prodendæ patriæ diſſoluendæque reipubl. eſt* ſcil. *aptus.* G.

Plene Liu. III. c. XXVII. 6. *Inde impoſito agmine, non itineri magis apto, quam prælio.* Cæſ. de Bell. ciuil. L. II. c. 37. *caſtra erant ad bellum ducendum aptiſſima.* Colum. L. I. c. IX. *dummodo perpetiendo labori ſit idoneus.* vide *aes alienum.* Hi datiui, Perizonius ad h. l. inquit, ſimpliciter in talibus locutionibus finem notant.

Aqua.

Piſcina ſubauditur aqua. Nam piſcinus eſt ad piſces pertinens. Hinc potimen piſcinum dixit Næuius. Sc.

Pluuia ingruit, ſubaudi: aqua. Nam dicimus

mus: *pluuiis diebus;* & apud Juriſconſultos titulus eſt, de aqua pluuia arcenda. S.

Vlpianus in c. I. D. L. XXXIX. T. 3. *Si cui* aqua pluuia *damnum dabit, actione* aquæ pluuiæ *arcendæ auertetur aqua.* Aquam pluuiam *dicimus, quæ de cælo cadit.* G.

Ouid. Metam. I. 66. *Pluuioque madeſcit ab auſtro.* S.

Vlpian. Leg. I. ff. de flum. *Fluminum quaedam ſunt perennia; quædam torrentia. Perenne eſt, quod ſemper fluit; torrens, quod tantum hieme.* vide! adiectiui formam. Sic Juſtin. Hiſt. IV. I. 9. *Torrens fretum:* Virg. Eccl. VII. 52. *Torrentia flumina.* it. Stat. I. Silu. II. 97. *Torrentes ſanguine campi.* Sc.

Plaut. Ciſt. I. 1. Aquam *frigidam ſubdole ſuffundunt.* Mart. VIII. Epigr. 67. *calidam poſcis* aquam, *ſed nondum* frigida venit. G.

Plin. L. III. Epigr. V. 1. *Poſt ſolem plerumque frigida lauabatur.*

Pro aqua poteſt interdum eſſe amnis vel vnda, cet.

ARBOR.

Truncus non eſt ſubſtantiuum. Curt. VIII. XI. 9.

Ipſe primus truncam arborem *iecit*. Virg. Aen. III. 659. *Trunca manum pinus regit & veſtigia firmat*; Curt. VI. IX. 28. *Truncum corpus;* Virg. Aen. II. 557. *Iacet ingens littore truncus*, deeſt: *homo*. Cic. pro Roſcio, c. X. *Nemo illum ex trunco corporis ſpectabat*. deeſt: *membro*. Juſtin. L. II. c. 9. *Truncus ad poſtremum* ſcil. *miles*.

Similiter vinea adiectiuum eſt, ex obſeruatione Perizonii non *a vino*, ſed a *vite*, quaſi *vitinea*, i longo in prima ſyllaba. *Sic* Solin. c. V. *Vineus latex*. Nonnunquam conuenit porticus. Tacitus Hiſt. II. 42. Voci *arbor* ſubiicit *vinea*, vt generi ſpeciem per expoſitionem: *Per locos arboribus & vineis impeditos*.

Argumentum.

Antecedens, *conſequens* ſunt adiectiua, quibus debetur argumentum. Cic. Topic. XII. *Alia ex antecedentibus*, *alia ex conſequentibus*. S.

Arma.

In plurali adiectiui *miſſilis*, Curt. L. IV. II. 9. *Si admonuiſſet*, *pendentes & inſtabiles miſſilibus arcere poterant*; & §. 21. *Miſſili-*

libus *eos quoque, qui pro opere ſtabant, inceſſere.*

Porro: *in illo* Nep. de Datam. IV. 5. *Quem procul Aſpis conſpiciens ad ſe ferentem*: addo: *arma, conf.* Hor. Ep. IX. 13. *Fert vallum* & arma *miles;* Cic. pro Rabir. c. 1. *Ferre* arma *contra patriam;* Vellei. L. II. LVI. 1. *Qui contra ſe* arma *tulerant.* Ouid. L. II. ex ponto Ep. II. 23. Cellarius in Nepotis locum actiuum verbum paſſiue explicat, ſed malim ſupplementum caſus conuenientis, ex initio citatæ periodi: *arma offert.* vid. Vechn. Hellenolex: plenioris editionis, quæ doctiſſimi Heuſingeri eſt, p. 59. & 75.

Ars.

Omittitur in Grammatica, Rhetorica, Dialectica, cet. Plaut. Capt. I. II. 29. *Carnificinam facere.* S. & Sc.

Additur Terent. Hecyr. prol. 46. *Nolite ſinere per vos* artem *Muſicam recidere ad paucos.* Quinctil. L. III. c. V. ars *rhetorica.* *Ciceronis rhetoricum.* Hygin. Fab. 274. *Ne quis ſeruus* artem *medicinam disceret.* *Si malis, adde*, doctrina, diſciplina.

Avis.

In maſculinis: *bubo;* Virg. IV. Aen. 462. *Sola-*

laque culminibus feriali carmine viſa, bubo viſa queri, Mart. L. XIII. Ep. 72. Phaſianus: *Argiua primum ſum transportata carina*; *grus*; Virg. X. Aen. 265. *Strymoniæ dant ſigna grues*, id. Georg. I. 120. Ouid. Faſt. III. 37. *Martia picus auis gemino pro ſtipite pugnant. Et lupa.* Eadem Ellipſis in adiectiuis: *ales*, *præpes*, *volucres* Cic. de Nat. D. L. II. 44. ex Arato: *Inde eſt ales auis lato ſub tegmine cæli.* id. l. c. *pulcherrima praepes Laena volauit auis.* Maxim. I. 6. *Quarum maiorem numerum præpetes diripuere aues.* S.

Virg. I. Aen. 32. 317. *Volucremque fuga præuertitur Ebrum.* Ouid. Metam. I. 154. *Volucres ſolis equi.* Cic. pro Syll. c. XXXII. *O! volucrem fortunam.* *Pro auis alibi magis congruit beſtia. cet.* G.

AVDITOR.

Ne multis morer. adde: *auditores ſiue lectores.* vid. *morari.*

AVRA.

Obſtat terminatio & vſus, quo minus ex Lexicorum indicio maſculinum ſit. *Eteſiæ*: femininum eſt, & adiectiuum, relicto: *aurae.* Neutrum habet Lucretius V. 741. *Eteſia flabra aquilonum.*

BE-

BESTIA.

baud. 1. *in fera.* Cic. Offic. I. 16. *Feræ ſunt rationis & orationis expertes.* Plene Liu. XXVI. 13. *Feras beſtias cæco impetu ac rabie concitatas.*

2. *in animans.* Cic. de Nat. D. L. II. 47. *animantium aliæ coriis tectæ ſunt, aliæ villis veſtitæ, aliæ ſpinis hirſutæ.* conf. Fabri Theſaur. erudit. ſchol. t. 1. f. 149. animans.

3. In quadrupes eiusque cognatis. Cic. de Nat. Deor. II. 44. *vaſta quadrupes.* Virg. Eccl. V. 25. *Nulla nec amnem libauit quadrupes.* Solinus c. 43. *apud Sambros nulla eſt aurita quadrupes.*

Poteſt & intelligi, pecudes. nam pecudes omnia dicuntur animalia. Varro L. II. Ruſt. c. 1. *Etiam nunc in locis multis genera* pecudum *ferarum ſunt aliquot.* Martial. *Adfuit immiſtum* pecudum *genus omne ferarum.* S.

CACVMEN.

Cacumen ſubauditur in iſto Horat. *Ventum eſt adſummum.* Lucret. L. V. extr. *ad ſummum donec venere* cacumen. Sc.

CAMPVS.

Horat. III, od. XII. 10. *Catus idem per apertum fugientes ceruos iaculari,* ſubaudi campum, ut notat Lambinus. S. CAR-

CARMEN, CANTILENA.

In Claſſicum, bellicum, ſubaudi carmen. S. Cic. pro Muren. c. XIV, *Bellicum me ceciniſſe dicant*. Liu. V. c. XLVII. 7. *vocatis claſſico ad concilium militibus. confer.* de adiectiui vſu vellei. L. II. c. LXXXV. 2. *claſſicum certamen.* Gell. noct. Attic. L. XIX. c. 8. fin. *Oratorum aliquis vel poetarum claſſicus.* G.

Etiam in canere abſolute poſito. Cic. Tuſc. quæſt. IV. 2. *Canere ad tibiam.* Val. Max. III. VII. extr. 2. *Mihi cane & Muſis.*

Patet ſupplementum: Curt. V. l. 22. *Magi deinde ſuo more patrium carmen canentes.* Terent. Phorm. III. II. 10. *cantilenam eandem canis.* Nep. XV. II. 1. *Carmina cantare tibiis.*

CAPILLVS ſ. CRINIS.

Cic. de Senect. c. XVIII. *Non cani, non rugae repente auctoritatem adferre poſſunt.* ſubaudi *capilli.*

Addunt: Ouid. II. Metam. 30. *Et glacialis hiems canos hirſuta capillos.* it. Lucan. I. *Turrigeros canos effundens vertice crines.*

Adiectiuo τοῦ canus legitur: Virg. I. Ge. 43. *Vere*

re nouo gelidus canis cum montibus humor. Ouid. l. Triſt. El. XIII. 21. *Cana prius gelido deſint abſinthia Ponto.* id. Faſt. V. 57. *Magna fuit quondam capitis reuerentia cani.* G.

CARO.

Vtor bubula, ſuilla, feriua, ouilla, agnina, captiua. Saluſt. Iugurth. c. XVIII. Feriua caro. S.

Plin. XXIII. 7. Caro *bubula.* Horat. I. Ep. XV. 35. *agnina* caro. G.

Ita habendum Horat. I. Ep. XV. 34. ſ. *Patinas coenabat omaſi vilis & agninæ*, ſcil. carnis quod Bondas in notis poſuit pro: agnini. Plaut. Aul. II. VIII. 4. ſ. *indicant agninam caram, caram bubulam, vitulinam, porcinam. Quid autem magis in macello venditur*, quo de loquitur Plautus; carne.

CASTRA.

rtinet 1. ad ſtatiua Liu. III. 2. *in latino a-ro ſtatiua habuit*; Tacit. L. I. c. LXVI. 4. *'atiuorum mutationes venditante du-*:. S.

er- Cæſ. de B. Civ. III. XXX. 3. Ex caſtris *atiuis exercitum educunt.* Tacit. Ann. . XXI. 5. *ſtatiuis* caſtris *adhærebat*,

2. Pe-

2 *Perizonio* obſervante, ad æſtiua, *Hiberna* C.c. II. Famil. XIII. *Quum primum æſtiua attigiſſem*, id. XVI. XXVII. *incredibile eſt, quæ ego ſcio, illos in æſtiuis feciſſe*; Liu. XXXVII. c. XIV. *quieta æſtiua acturos*.

conf. Suet. in Claud. *Obiit in æſtiuis* caſtris. Tacit. Ann. I. XVI. caſtris *æſtiuis tres ſimul legiones habebantur*.

3. *Ad verbum* mouere: quemadmodum enim dicitur, *bellum mouere, & caſtra mouere*, ſic etiam abſolute poſitum reſpicit caſtra, Suet. in Cæſ. c. 60. *quum minime quis moturum putaret*, ſcil. caſtra; Lucan. II. 528. *Tentandas ratus moturi militis iras*, i. caſtra. plene Cæſ. de B. Afr. c. VI. 1. Caſtra *quum mouere vellet*; Nep. XVIII. 12, 3, *quum* caſtra *mouerentur*.

CATENA.

In adiectiuo *collaria*. Plaut. Capt. II. II. 107. *Hoc quidem haud moleſtum eſt, quod collus collaria caret*. Neutro genere occurrit apud Varron. R. R. II. 9. *collarium*.

In verbo vincio abſolute poſito. Virg. XI. Aen. 81. *Vinxerat poſt terga manus*. Integra phraſi utitur Ouid. XV. Metam. 601. *Si dignus erit, grauibus vincite catenis*; Plaut.

Plaut. Menæch. I. i. 3: *Homines captiuos qui catenis vinciunt.*

CAVSSA

Pluribus debetur genitiuis; vt in illo Plaut. Rud. V. III. 18: quod pro genitiuo habet Taubm. ad h. l. *ius iurandum rei ſeruandæ, non perdendæ conditum eſt.* Tacit. Hiſt. IV. XXV. 4. *Magis vſurpandi iuris, quam quia vnius culpa foret.* Ter. Adelph. II. IV. 6: *Ne id aſſentandi magis, quam quo habeam gratum, facere exiſtumes.* Nep. XX. V. 3: *Nunc demum ſe voti eſſe damnatum.*

Simplicius etiam additur formulis intereſt, *refert, mea, tua, noſtra, veſtra*, quam ablatiuus cum præpoſitione *De*, vel *Ex*; & quartus caſus vocis *negotia* cum *ad*. Pro *cauſſa* nonnunquam eſt *gratia*.

CHRISTVS.

Quoties æræ noſtræ annus notatur, Chriſti ſubintelligitur; ſiue recuperatae ſalutis. *e. g. dabam anno CIↃ IↃ CCXXXVIII.*

CIBVS.

Ell. Ter. Phorm. I. i. 9: *Quod ille vnciatim demenſo de ſuo.* vid. alimentum. S. Suppl. Plaut. Stich. I. II. 3: *Vos meminiſtis,*

quot Calendis petere demenſum cibum cet.

CLASSIS.

In Ordinis conſtitutione claſſes haud raro habentur: Prima, Secunda, Tertia, Selecta, cet. vt in ſcholis, ſolo numerali poſito.

CLITELLA.

Impono tibi, quia tu mihi impoſuiſti, ſubaudi: Clitellam. Vrbanitatis gratia non exprimitur. S.

Cic. Attic. V. Ep. 15. Clitellæ *boui ſunt impoſitæ*. Plaut. Moſt. II. I. 83. *aduenientem ſarcinam imponam ſeni*. i. e. Clitellam.

CAELVM.

Ellipſ. in verbis: *Luceſcit, veſperaſcit, pluit, fulgurat, tonat, cet.* &c.

Plene Nep. in Pelop. II. 5. Vt, *veſperaſcente* cælo, *Thebas poſſent peruenire*.

In adiectiuis: Dium ſ. diuum. Horat. II. od. III. 22. *Nil intereſt, an pauper, & infima de gente ſub dio moreris*. Celſ. I. 2. *Ambulatio melior ſub diuo*. Colum. XII. 12. *Aquam cæleſtem vaſis includunt, & ſub dio in ſole habent*. ſupple: *cælo ſ. aëre*. Dicitur etiam: *dia Camilla*, Virg. Aen. XI. 657. it. Lucret. V. 1386. *Otia dia*.

Purum. Horat. II. od. XXXIV. 7. *Plerumque per*

per purum tonantes egit equos, *i.e. per aëra ſ. cælum.*

Serenum. Lucan. I. *Fulgura fallaci micuerunt crebra ſereno.* Sil. V. 58. *Caligo in terras nitido reſoluta ſereno.*

vid: Virg. I. Ge. 260. *Multa forent, quæ mox cælo properanda ſereno.* Horat. II. Sat. IV. 51. *Muſica ſi cælo ſupponas vina ſereno.*

Sublime. Phaedr. II. Fab. VI. 4. *Aquila in ſublime ſuſtulit teſtudinem, inferas:* caelum. G.

Altum. Virg. Aen. I. 301. *Hæc ait, & Maia genitum demittit ab alto, i. cælo.*

Excelſum. In hymno angelico: *Gloria in excelſis* (cælis) *Deo.*

Coena.

Hoc puta in adiectiuo, recta. Mart. VIII. 50. *Promiſſa eſt nobis ſportula; recta data eſt.* Suet. in Aug. c. LXXIV. *conuiuabatur & aſſidue, nec vnquam, niſi recta.* id. in Veſp. c. XIX. *conuiuabatur aſſidue, ac ſæpius recta.*

Plene Suet. in Domit. c. VII. *reuocata* cœnarum *rectarum conſuetudine.*

Nec non in verbo vocare, abſolute poſito Cic. Famil. VIII. Ep. 20. *Vt verrium vocare ſæpius audeamus.* Plaut. Stich. II. I. 29. *Nulli negare ſoleo, ſi quis me vocat.* Terent. Eun. V. IV. 14. *Quæ quum amatores vocant*, ſcil. ad cœnam, *liguriunt*. G.

Habetur Attic. VI. Ep. 3. *Hunc ego patris cauſſa vocaui ad* cœnam. Conf. Taubm. Not. ad Plaut. Menaech. III. I. 9. vbi confirmatur, quod diximus.

COLLOQVIVM.

Tacit. Ann. XIII. XVIII. 3. *crebra cum amicis ſecreta habere.*

COMMERCIVM.

Deeſt nonnunquam, quum verbum eſſe vſum & conſuetudinem ſignificat. Terent. Andr. II. I. 27. *Num quidnam amplius tibi cum illa fuit* (commercii) *charine?* id. Adelph. IV. V. 44. *Quid nobis cum illis?* Ouid. de ponto I. Ep. VII. 25. *Vtque tibi fuerit mecum nihil amplius.*

COMMVNIS.

Tacent hanc vocem Cic. L. XII. Fam. Epiſt. 1. *Cum Patrone Epicureo mihi omnia ſunt*, ſcil. communia. id. Attic. XII. Ep. 17. *Mihi ante aedilitatem meam nihil erat cum Cornificio, i. commune* Plaut. Caſ. II. II. 12.

Nec

Nec quocum plura ſunt mihi, i. communia. Sen Ep. XII. *Quid tibi cum alieno*, i. e. *commune?*

Plenior locutio Cic. de Leg. II. 23. *Hæc locupletibus fere cum plebe communia*. Attic. L. XI. Ep. 1. *pericula, quæ mihi communia ſunt cum ceteris, fortius feram*. Nep. in Epam. III. 4. *omnia ei cum amicis fuiſſe communia*.

Comparatvs.

Sæpe deeſt, vbi particula *Ad* finem vel cauſſam innuit, e. g. Ter. Andr. III. II. 1. *Quæ oportent ſigna eſſe ad ſalutem*; id. Heaut. I. II. 33. *Atque hæc ad virtutem omnia ſunt*.

Interdum etiam deeſt, vbi fit comparatio, Ter. Eun. II. III. 69. *Nihil ad noſtram hanc*. Cic. pro Deiot. c. VIII. *Nihil ad tuum equitatum*, ſcil. comparati.

Eſt Curt. V. VI. 3. *Suppellex non ad vſum modo, ſed ad oſtentationem luxus comparata*. Terent. Eun. IV. IV. 14. *Nec comparandus hic quidem ad illum eſt*. *Alii aptus*, pro: comparatus.

Concio.

Supplendum in Eccleſiaſtica formula: *ite, miſſa eſt!* vid. L. XXXIX. §. Nupt. ff. de A-

 dult.

dult. Non eadem eſt, quod vel tribus monuerim, nos inter & pontificios ſignificatio. Hi pro piaculari ſacrificio habent; nobis nil aliud eſt, quam cœna S. qualis ad exemplum primæ inſtitutionis adminiſtratur. vid. Aug. conf. Art. XXIV. 3. coll. Apol. p. 250. it. 269. it. Artic. Smalkald. Art. II. p. 305. edit. Rechenberg.

Conclave.

Penetrale eſt adiectiuum. Ouid. Metam. XV. 34. *Patrinum ſimul transferre parabat in ſedes penetrale nouas.* Liu. VI. c. 41. fin. *Tradamus ancilia, penetralia, Deos.* Lucret. II. 382. *Fulmineus multo penetralior ignis.* Cic. de Haruſp. Rep. c. XXVII. *penetrales foci.* Virg. Aen. II. 297. *Aeternumque adytis effert penetralibus ignem.*

Adde etiam Vulgatis: *Conuictorium, dormitorium.* Plin. L. XXX. c. 6. *poſt hæc iubent eum in pariete dormitorii ejus tectoue includi.* ibid. *Eo liberat & lacerta Viridis, viua in olla ante cubiculum dormitorii ejus ſuſpenſa.*

Consilivm.

Eſt 1. in propoſitum. Cæſ. B. C. I. 83. *Tali inſtructa acie tenere vterque propoſitum videbatur.* Nep. XVIII. III. 6. *itaque tenuit hoc*

hoc propoſitum. Phaedr. præf. tertia 15. *Mutandum tibi propoſitum eſt.* Liu. II. VIII. 8. *Nihil aliud ad eum nuntium a propoſito auerſus, cet.*

2. Certum. Ter. Andr. I. III. 4. *Nec quid agam: certum eſt.* Plaut. Amphitr. I. I. 109 *Certum eſt hominem eludere.* Virg. Ecl. X: 52. *Certum eſt in ſiluis, inter ſpelaea ferarum, malle pati.*

3. Arcanum. Iuuen. Sat. IX. 115. *prodere malunt arcanum*; Curt. IV. VI. 5. *more perſarum arcana regum mira celantium fide*; Horat. I. Ep. XVIII. 37. *arcanum neque tu ſcrutaberis vllius vnquam.*

4. Secretum. Quinctil. II. I. *Animi ſecreta detegit.* Suet. in Tib. c. IX. *Secretum agenti grandem nullum inopinanter obtulerat*; Sen. Ep. XI. *animus etiam ſecretum ſuum ſanctius faciat.*

5. Conſultum. Saluſt. Catil. c. I. *priusquam incipias, conſulto opus eſt*; Vellei. II. XVIII 5. *Bene conſulta male cedunt*; Hor. I. Ep. XVI. 41. *qui conſulta patrum, qui leges iuraque ſeruat.*

In his & ſimilibus intellexeris, conſilia, quemadmodum Valer. Max. III. VIII p. 183. edit. min. *propoſitum conſilium.* Iuſt. Hiſt. XI. VI. 8. *Adfirmans ſuis, occulta conſilia victo.*

victoriæ furtiuæ conuenire, Plaut. Epidic. I. II. 60. *Eumdem ſenem oppugnare certum eſt conſilium mihi*, *pro*: *conſilium bene viſum & conſultum*; id. Trucul. I. II. 7. *conſulta ſunt conſilia*, *quando intro aduenerunt*, *i. e. iam inter ſe compacti ſunt*. Paullus quoque ICt. dixit, *conſulto conſilio*.

Pro, *conſilium*. Perizonius ſupra mauult: *nomen*, *modus*, *negotium*.

CONSPECTVS.

Dicunt: *in publicum prodire*, Nep. in Alcibiad. III. 5. Sed Phaedr. L. V. F. VII. 22, *quidam adfirmant*, *in conſpectum prodi-turum ſine mora*.

CONSTITVTVS.

Cic. de Seneſt. princ. *ille Vir haud magna in re*, *ſed fidei plenus*; Horat. *Me libertino patre natum*, *& in tenui re*, ſubaudi: *conſtitutum*.

CONTROVERSIA.

Subintelligitur Attic. I. Ep. 3. de C. *Macro*, *transegimus*, *ſc. controuerſiam*; nam ibid. *Acutilianam controuerſiam transegeris*. S.

COPIA.

Ell. I. in verbo, *duco*, Liu. XXXI, 24. *Transgres-*

greſſus ponte Euripum, per Boeotiam Athenas ducit; id. c. XXVI. *A Borneo Athenas derepente duxit*.

Plene Cic. I. Tuſc. 41. *Maximas copias ducit ad Troiam*; Terent. Eun IV. vi. 17. *viden' militum ſecum ad te quantas copias adducere?*

2. *Ell. in nominibus copiæ & inopiæ.* Claudian. in Eutrop. II. 380. *abundans corporis, exiguusque animi*; Virg. Ecl. II. 20. *quam diues pecoris niuei, quam lactis abundans*; Terent. Adelph. III. III. 59. *preceptorum iſtorum plenus ille*; Cic. V. Attic. Ep. 14. *Epiſtola plena feſtinationis*; Nep. IV. I. 2. *plenus conſilii*; Cic. pro Font. c. I. *Referta Gallia negotiorum eſt*; *plena ciuium Rom.*

Silius VIII. 12. *Egenus rerum cunctarum.* Virg. Georg. II. 428. *Opis indiga noſtrae.* Plin. VIII. 40. *Hæc erant fidiſſima auxilia, nec ſtipendiorum indiga*; Plaut. Bacch. I. II. 46. *virium vacuus*, id. Pſeud. I. V. 54. *vaciuæ ædes aurium*; Ouid. Heroid. III. 60. *Sanguinis atque animi pectus inane fuit*; Cic. pro Muren. c. XII. *Inaniſſimus prudentiæ.*

CORONA.

Nota in adiectiuis: *Ciuica, ferta, laurea, cet.*

 Suet.

Suet. in Iul. Cæſ. n. 45. p. 45 edit. Hartnaccii *Ius laureæ perpetuo geſtandæ ;* Cic. de Offic. L. I. c. xxII. *Concedat laurea linguæ ;* Eutrop. L. VII. c. xv. 5. *de Sarmatis ſolam lauream vſurpauit ;* C. Seuerus ap. Charis. p. 83. *Huc ades Aonia crimen circumdata ſerta ;* Propert. II. xxxIII. 37. *Quum tua præpendent demiſſæ in pocula ſertæ.* conf. Plin. XXI. 1. *Quum e floribus fierent , a ſerendo ſerta ſertaeue appellabantur.*

Confer de plenioribus exemplis Iuſtin. L. VIII. c. II. §. 3. *Omnes milites coronas laureas ſumere iubet ;* Plin. xv. 30. *Laureus ramus, laurea corona ;* Lucan. X. 164. *Accipiunt ſertas nardo florente coronas ;* Hinc citante Scioppio , Seruius ad Virg. Aen. I. 421. *Si ſertos dixero , addo flores, ſi ſertas , addo coronas.* Sed neutro genere additur : *Strophium,* in Theſauro Erudit. ſcholaſt. t. 2. f. 604.

CRIMEN.

Deeſt in Verbis accuſandi , abſoluendi , cet. Iuſtin. XVIII. vII. 18. *Ipſe affectati regni accuſatus ;* Nep. I. vII. 5. *Accuſatus proditionis ;* Cic. de fin. II. 9. *Accuſare capitis ;* Cic. in Verr. I. c. 28. *Abſoluere improbitatis ;* it. Auctor ad Herenn. II. c. 13. *Iniuriarum*

rum abſoluere. Nep. I. vii. 6. *Capitis abſolutus*; Cic. in Brut. c. xlviii. *damnari ambitus.* Nep. III. viii. 3. *damnari proditionis.* Tacit. Ann. XII. c. lxvi. 3. *damnari veneficii.*

Supplem. Nep. IV. vii. 1. *Abſens inuidiæ crimine accuſaretur.* id. XV. viii. 1. *Collegæ eius hoc crimine accuſabantur*; it. IV. II. 6. *accuſatus crimine.* Horat. L. II. Sat. III. *An commotæ crimine mentis Abſolues hominem & ſceleris damnabis eundem*; Liu. II. 8. pr. *Latæ deinde leges, quæ conſulem regni ſuſpicione abſoluerent.* Val. Max. L. II. c. 1. *Quapropter non is damnandus rigoris ruſtici crimine, C. Mari.*

Pro: crimen accipe nunnunquam, nomen, cauſſa, culpa, poena.

Ex ſententia Feſti hæc Ellipſis occurrit etiam in adiectiuo capital, Plaut. Men. I. I. 16 *Iam meretſi capital fecerit*; Sil. XIII. 155. *Præuetitum namque & capital*; Iuſt. II. vii. 8. *Capital eſſe cœpit, h. e. crimen, facinus.*

De formula voti reus, voti damnatus, Perizonius h. l. obſeruat, eſſe voti obligatione reum, qui ſe obligauit Diis ad præſtandum aliquid, ſi conſequatur, quod petit; voti ſcil. perſolutione damnatum, ſi petitum conſecutus ſit, ad præſtandum, quod voto promiſerat.

Cvlmen.

Superba tecta; *hoſpita tecta*; *recipere in tecta*

tecta ſua, ſubaudi, *culmina*. S. Sc. Seruius in Eclog. I. 69. Ideo dixit culmina, tecta, quia veteres de culmo, i. e. paleis vel ſtipula ædificia protegebant. Virg. II. Aen. *Turres & tecta domorum culmina conuellant*.

Poteſt etiam ſubaudiri, *tuguria*, Vitruu. L. II, c. 1. *Nonnulli ex vlua paluſtri componunt tuguria tecta*. Similiter in *Lacunar*, ſubauditur: *tegmen*: nam lacunar pro lacunare adiectiuum eſt.

CVLPA.

Subeſſe videtur in adiectiuo *noxia*, quod ſic a ſubſtantiuo *noxa* i. e. damnum ſ. nocumentum diſtinguit Perizonius. Terent. Eun. V. II, 13. *Vnam hanc noxiam mitte*; Plaut. Pœnul. I. II. 191. *Etiam tibi hanc amittam noxiam vnam*; Ter. Phorm. I. IV. 48. *Ad defendendam noxiam*; id. Hecyr. II. III. 3. *Sum extra noxiam*; it. Heaut. II. II. 57. *Magnum hoc quoque ſignum eſt, dominam eſſe extra noxiam. Quid magis hic conueniens, quam culpa?* vid. Kockert ad Tir. ſub noxia & culpa.

Itidem in verbis damnandi & abſoluendi. Sed vid. *cauſſa*.

CVLTOR.

Addendum genitiuo verbi ſum. e. g. partium ali-

alicuius *eſſe*, Eutrop. VI. 1. *Sertorius, qui partium Marianarum fuerat*, ſc. cultor, ſ. amicus, aſſecla cet.

Adiectiuis etiam nonnullis conuenit: *deuotus, deditus, ſtudioſus*, quorum ſuperlatiuus nomini ſcriptoris in fine hodie epiſtolarum præmittitur.

DATVM.

Virg. IV. Georg. 447. *Scis, proteu, ſcis ipſe, neque eſt te fallere cuiquam*, ſubaudi *datum*, vel *conceſſum*; Ter. Adelph. V. IV. 8. *Cuiuis facile eſt noſcere*, i. datum negotium, S.

Omitti plerumque ſolet ſub finem epiſtolarum, ſupplendum, e. g. Cic. Fam. IV. Epiſt. 12. *Datæ i. literæ* prid. Cal. Iun. *Athenis*. it. Famil. XVI. Ep. 2. *datum prid. Id. Ian.* it. XIV. Ep. 7. *datum VII. Id. Iun.* G.

Idem ſupplementum opus eſt Cic. L. XVI. Ep. 16. *in medio*: *Nec mirabamur, nihil a te literarum*, ſcil. *datum*.

Etiam ſubſcribi poteſt: *ſcripſi, ſcriptum, vel ſcriptæ*. vid. Cic. L. VIII. Fam. Ep. 10. *Ego has literas ad XIV. Cal. Dec. ſcripſi.*

DENS.

Perſius I. Sat. 115. *geminum fregit in illis*, ſubaudi: *dentem*. Sic in *molaris, maxillaris*, cet. de quibus Plin. L. II. c. 37. S.

DEVS

Devs. Dea.

Ell. in ſuperi & inferi. nam Liu. XXXI. 31. *Dii ſuperi inferique.* Ex Horat. Sanctius cit. *Carmine Di ſuperi placantur, carmine manes.*

In verbis, quæ tempeſtatem exprimunt, vt alibi cælum.

In nominibus gentilium, *Decima, Nona*, quas ex Tertulliani relatione Romanorum ſuperſtitio a ſolicitioribus menſibus Deas finxit.

Dies.

Haud raro deeſt, vt Curt. L. III. c. XII. 18. *Ad vltimum vitæ perſeuerare potuiſſet;* Plaut. Triu. V. II. 65. *Tu in perendinum paratus ſis.* Afranius priuigno: *Feſtis promiſcue, atque profeſto concelebras focum,* ſubaudi. *diebus & die.* Nep. XVI. III. 2. *in craſtinum differo res ſeueras.* Ouid. I. Faſt. 163. *Bruma noui prima eſt, veteriſque nouiſſima ſolis.* Cic. VII. Attic. Ep. V. *Tertio nonarum Ianuarii natali meo.* Adde *prædicti nominis cuique loco caſum conuenientem.*

Dominica, pro prima hebdomadis feria, reſpicit *dies.* Item templa Chriſtianorum appellantur dominica, & cœna ita dicitur.

Intelligitur etiam in obire Eutrop. VII. 9. *Obijt*

Obiit ſcil. *diem ſupremum. xxxII. ætatis anno* it. VIII. II. *obiit autem ætatis anno* LXIII. it. c. III. 8. *obiit in Campania.*

Coniunctim legitur Cic. pro Muren. c. XII. *dies perendinus*. id. in Verr. IV. c. 63. & pro Arch. c. VI. *Agitare, celebrare feſtos dies.* Virg. VI. Aen. 69. *Templa inſtituam feſtosque dies.* Horat. III. od. XXVIII. *Feſto quid potius die Neptuni faciam?* Cic. XV. Ep. VIII. extr. *Aliquid craſtinus dies ad cogitandum nobis de ea re.* (dabit). Florus L. II. VI. 19. *dies vltimus;* Cic. IX. Attic. Ep. V. pr. *Natali die tuo ſcripſiſti Epiſtolam ad nos*; Plaut. Aulul. II. IX. 10. *Feſto die ſi quid prodegeris, pro feſto egere liceat.* id. Rud. IV. IV. 127. *Et bulla aurea eſt, pater quam dedit mihi natali die.* Cic. IV. Fam. Ep. 12. *Erat ſcriptum paullo ante lucem Marcellum diem ſuum obiiſſe*; Nep. X. x. 4. *diem obiit circiter annos LV. natus.* id. I. VII. 6. *In vincula coniectus eſt, ibique diem obiit ſupremum.*

DIGITVS.

Adagium eſt Horat. I. Sat. IV. 14. *Minimo me prouocat,* i. digito. Medius, infamis, impudicus, verpus, i. *digitus;* medicus, medicinalis, annularis. vid. Macrob. Sat. VII. 13.

DIGI-

Discvpvlvs.

Sunt in ſcholis ſelectani, primani, ſecundani, tertiani, cet. diſcipulorum nomine plus ſatis noti.

Disciplina.

Logica, Ethica, Metaphyſica, Phyſica, Arithmetica, cet. quid aliud ſingulari numero prolata ſibi volunt, quam diſciplina?

Doctor.

Scholaſticus, Grammaticus, Phyſicus, cet. intelligitur *Doctor*. Subſtantiua enim hæc quis putaret.

Dominivm.

Ad ſenſum hæc vox facit. Curt. VII. 1. 3. *Id demum credens fore ipſius*; ſcil. *dominium ſ. regionem*.

Domvs.

Deficit Ouid. II. Metam. 1. *Regia ſolis erat ſublimibus alta columnis*; id. Triſt. III. I. 30 *Hic fuit antiqui regia parua Numae*; Liu. xxvi. c. 27. *Neque enim tum baſilicæ erant*, id. XXXIX. c. xliv. *baſilicam ibi fecit*. Plin. V. Ep. 21. *pr. baſilica Iulia*; alibi ſic eſt, *Hemitia*, *Porcia*, cet. i. *domus*, *ſiue ædes*.

Reliquit patriam, ſubaudi, *terram vel domum*. Nam Solin. c. xxii. *relicta domo patria*

ria; Plaut. Stich. - - *quia vos in patri-*
im domum rediiſſe video; Salluſt. Iug.
Exſul patria domo ſolus, id. *extorris pa-*
ria domoi,
Formula uxorem ducere, Plaut. Aulul. II.
. 40. *Qui mediam ducit uxorem*, *vbi*
Taubm. ad h. l. in domum mariti ductas eſſe
nouas nuptas, veſpere quidem tædis ac fa-
ibus præeuntibus. Terent. Adelph. III. v. 27
urans ſe illam ducturum domum.
cifſe dicitur, Cic. pro Sextio, *uxorem du-*
ere. Martial. VIII. Epigr. 12. *vxorem qua-*
e locupletem ducere nolim, *Quæritis?*
Cic. XIV. Attic. Ep. 13. *Ab uxore ducenda*
abhorrere.
ectiuis iunxerunt: Juſtin. XVI. 1. 15. *Ex-*
inctor domus regiæ. Nec minus pro adie-
ctiuo habendum Baſilica, Plin. Hiſt. Nat. xv.
:. 22. *baſilica nux*; Plaut. Pſeud. I. V. 43.
Statum vide hominis quaſi baſilicum.

Ens, Existens.

u congruo addi poteſt, vbi cunque ſubiectum
non aliud prædicatum admittit. Nep. XXIV.
. 2. *Primum ſtipendium meruit anno-*
rum decem ſeptemque, ſcil. exiſtens; Plin.
Paneg. c. 80. *O! vere principis atque etiam*
conſulis, i. exiſtens manus; Suet. in Domit.
c. 20. *Sermonis tamen nec inelegantis*,
di-

dictorum interdum etiam notabilium, ſc. exiſtens, Salluſt. de Bello Jugurth. c. LVII. *Multa oppida temere munita, aut ſine præſidio,* ſcil. exiſtentia *caput*; Propert. L. III. El. XIX. v. 3. ſ. *Durus, qui lucro potuit mutare puellam. Tantisne in lacrymis Africa tota fuit? i. exiſtenti in ipſis illis lacrymis, nimirum ſuis ſimul & puellæ.* Quod notandum contra Broukhuſium, conf. Propert. I. V. 11. P.

Similes Ellipſes ante IN. Saluſt. Jugurth. XL. *Quia Iugurtha, cet.* Cic. in Catil. IV. 1. *Eſt mihi, cet.* Ouid. Met. VIII. 313. Phædr. L. I. Fab. IX. 8. *Lepus ſemianimus mortis in ſolatio.* Nihil apud Cic. frequentius, L. II. Ep. 16 *Hæc adſperſi, cet.*

Pro Ens, quod in vſu nobis non eſt, poſſumus dicere, *qui eſt, fuit, erat, e. ſ. p.* Quamuis Cæſar non incongrue protulit *Ens*, a verbo ſum, *es, eſt*; quomodo a verbo poſſum, *potes, potens,* Hæc Priſcianus. Non placet Quinctiliano L. VIII. Cap. de Ornatu, neglectus hujus participii. Mihi vero, ait auctor Mineruæ propterea exprimi non videtur, quia facillime poſſit intelligi. Cæterum a Grammaticorum, qui ignoraſſent huius participii vſum, Appoſitione

one & euocatione cauere ſibi iubentur literarum ſtudioſi. Scæuola uero in l. Creditor. §. Lucius Titius, ff. mandati expreſſit participium, ſic: *concedo tibi de omnibus meis, vt vis negotiari, ſiue vendere vis, ſiue paciſci, ſiue emere, ſiue quodcunque operari, vt domino enti meorum.* S.

EQVVS.

Ferus, ſonipes, cornipes, quadrupes; adiectiua ſunt: Si ſola ponantur, equus intelligitur. Virg. Aen. IV. 135. *Stat ſonipes & frena ferox ſpumantia mandit*; Sil. I. 222. *Martius hinc ſonipes campos hinnitibus implet*, i. equus. S.

ESCA.

Subaudi in Merenda. Recte Grammatici obſeruant, τὸ merenda eſſe a mereo. *deriuationis ratio ad liquidum perducitur* Fabr. Theſ. f. m. 1493.

EXERCITVS.

Nepot. XVIII. V. 1. *Hic, qui deſeruerant, exercitu ſuffragium ferente, capitis abſentes damnantur.* Verbo deſeruerant, abſolute poſito, ſenſum adfert, exercitum.

Cic. Fam. XVI. Ep. II. *omnino ex hac quoque parte diligentiſſime comparatur*; Nep. VIII 2, 2. *tempore ad comparandum dato.*

Plene Cic. Orat. Phil. V. 13. *comparare exercitum*; id. Famil. XII. 17. *Magnas Romæ Panſa copias ex delectu Italiæ comparat.*

FABVLA

Eunuch. prol. v. 32. *Terentius eas ſe non negat perſonas transtuliſſe in Eunuchum ſuam Ex græca*, cet. ſubaudi, *fabulam.* Nam Eunuchus, *Ajax, Oreſtes*, etiam pro tragœdia, maſculina ſunt, ſed frequentius ad nomen generale reſpicimus. vid. Auis. Horat. de art. poet. v. 288. *vel qui prætextas, vel qui docuere togatas*; Juuen. Sat. I. 3. *impune ergo mihi recitauerit ille togatas.* S.

Sic Atellanas, palliatas, cet. ſubaudi fabulas ſ. comœdias.

Ellipſin & ſupplementum videris in Fabr. Lexic. lat. fol. 242. G.

Intelligitur in verbis fingo, ich erdichte. Phædr. L. IV. Fab. XVI. 2. *Aeſopus finxit, ſcil. fabulas*; narro, quando in proverbio dicitur: *narrauere patres, & nos narrabimus omnes.* Supplementum probo ex alio: *ſurdo narratur fabula*; it. Ouid. ex pont. III. II 97. *fabula narrata eſt poſtquam vulgaris ab illo*; Horat. I. Sat. 1. 69. *mutato nomine de te Fabula narratur.*

FAX.

FAX.

Luce mihi, præluce nobis, ſubaudi, *facem, vel cereum*. Plaut. Caſ. I. II. 36. *Primum omnium huic lucebis nouæ nuptæ facem*.

Agendi ſignificatus verbi luceo obſeruatur I Fabri Lexico f. 1403. G.

FACTVM.

Mira ſunt, ſubaudi, *facta*, *ni Piſtoclerus Lydum pugnis contudit*, Plaut. III. III. 46. Bacchides. Nam ſic idem Rud. II. III. 15. *Haud miranda facta dicis, ſi deos decepit & homines*, Sc.

Sic ante hac, poſthac, poſtea, interea cet. particulæ non ſunt, ſed pronomina, hac enim pro hæc dicebant. Poteſt etiam ablatiuus eſſe, ſcil. hora, ſed ſimplicius accipitur accuſatiuus. P.

In adhuc, *pro adhoc*, ſubaudi, *factum*. Plaut. Mil. IV. V. *Ante hoc factum hunc ſum arbitratus ſemper ſeruum peſſimum*. additur tempus. Plin. paneg. c. VII. *ad hoc æui*, ſc. tempus. Plaut. Capt. II. III. 25. *Vt adhuc locorum feci*. Cic. Fam. V. Ep. 10. *Cæſar adhuc mihi iniuriam facit*. id. III. Ep. V. *quod quibus adhuc non ſatis eſt perſpectum*. Nep. in Milt. V. 5. *qua pugna nihil adhuc, cet.*

In aliis multis Vir laudatus præfert *factum, dictum, negotium.* Sed & aduerbium eſſe concedit, vti: *adeo.* G.

FAMA.

Deeſt Nep. XIV. VI. 3. *Si in turbam exiſſet, ſubaudi: fama.*

FASTIGIVM.

Ell. Claud. Ruf. II. 22. *Tolluntur in altum, vt lapſu grauiore ruant;* Sen. in Agam. v. 100 *quidquid in altum fortuna tulit, ruitura leuat.* Vellej. II. LXI. 1. *quum Caius Cæſar decimum nonum annum ingreſſus ſumma conſecutus ſit;* Curt. IV. I. 18. *Admiratus Hephæſtion magnitudinem animi, adſpernentis, ſc.* faſtigium, *quod alii per ignes ferrumque peterent.*

Suppl. Plin. Paneg. c. LII. §. 2. *Sic fit, vt Dei ſummum inter homines faſtigium ſerues.* Vellei. II. XXX. 3. *Quem virum quis non miretur in ſummum faſtigium vectum.* id. II. LXV. 1. *In quod iam emerſiſſent faſtigium,* it. cap. CXVI. 4. *Fructu amicitiæ euectæ in altiſſimum faſtigium imaginis.*

FATVM.

Supplendum puto in adiectiuis quibusdam Ouid.

Ouid. Triſt. III. xvi. 17. *Siue malum, potus tamen hoc vitare cauendo.* Nam v. 15. expreſſe: *Sed mea me in pœnam nimirum fata trahebant*; Cic. Fam. VI. Ep. 21. *Mors omnium rerum eſt extremum*, ſcil. *fatum*: quod docet Ouid. Eleg. de Druſi morte ad Liuiam v. 357. *Fata manent omnes*, id. Tr. III. xiv. 31. *Inque tot aduerſis carmen mirabitur vllum*, ſc. fatis.

Febris.

Quartana, tertiana, quotidiana, i. febris. Iuuen. Sat. IV. 57. *Iam quartanam ſperantibus ægris*; Cic. VII. Attic. Ep. 2. pr. *quartanam deceſſiſſe*, cet. Petron. c. XVII. *tam periculoſo inhorrui frigore, vt tertianæ etiam impetum timerem.* addatur Plin. L. XX. c. 20. *Seminis grana tria in tertianis cet.* S.

Legitur: Terent. Hec. III. II. 22. *Febris quotidiana*; Plin. VII. 50. *Febris quartana*. Cic. de Nat. D. III. 10. *Vide, ne tertianas quidem febres cet. Plures febris denominationes.* vid. Fabri Theſaur. Erudit fol. 911.

Femina.

Prægnans adiectiuum eſt, Plin. XII. c. 25. *arbor*

prægnans, id. XXV, 13. *prægnantia folia.* dicitur et: *prægnans Iouis cerebrum.* Si abſolute profertur, deeſt *femina*, Plaut. *Quæ nunquam fuit prægnans, qui parere potuit?* S.

Porro h. l. notetur: *auia*, Cic. de Haruſpic. Rep. c. II. *Illa mater Deae te, Cn, Lentulo, cuius ab auia manibus eſſet accepta, ſpectatorem eſſe voluit.* G.

Adiectiui formam habes, Curt. III. II. 25. *At in gremio anus auiæ iacebant, cet.*

Iuuenis. id. L. II. c. II. 5. *Animosque eiusdem pulchra iuuenis ceperat.* Iuuenis enim vtroque genere adhibetur: de maſculino vid. Ouid. Triſt. IV. V. 31. *Sic iuuenis tibi conſimilis ſit natus.*

Pediſſequa. Terent. I. I. 96. Andr. *accedo ad pediſſequas*, maſculino vtitur Nep. V. IV. 2. & XXV. xv. 3. *ſemper Cimonem pediſſequi cum nummis ſunt ſecuti.*

Deeſt in propriis. Barbara, Sabina, Carolina, Friderica cet.

FERIA.

Horat. I. Ep. VII. 75. ſ. *Iubetur rura ſuburbana indictis comes ire Latinis.*

Confer. Cic. I. Nat. 15. *Nam quum feriis latinis ad eum veniſſem.* Liu. XLII. x. 15. *Latinis*

tinis feriis in primam quamque diem indictis. Citantur ſurinales feriæ, Varr. de L. L. IV. 15. id. V. 3. *vbi etiam de ſementinis, paganicis, conceptiuis feriis.* Additur porro in nundinæ, quia Liu. III. 35. *eſt trinum nundinum* Macrob. Sat. I. 16. *Nundina Dea.*

De pluribus vid. Fabri theſaur. ſub Feria. G.

FESTVM.

Varro de L. L. V. 3. *Accalia; Agonia, vel Agonalia; Angeronalia; Carmentalia*, vid. Soſip. Chariſ. p. 21. *Cerealia*, Cic. II. Attic. Ep. XII; *Compitalia; Conſualia; Equiria*, conf. Ouid. II. Faſt. 859. *Feralia; Fontinalia; Fordicidia; Fornacalia*, vid. Lactant. Inſtit. diu. I. 20; *Furinalia; Laurentalia; Liberalia; Lupercalia; Matralia*, vid. Varr. IV. 22. *Meditrinalia; Megaleſia; Neptunalia; Opalia; Paganalia; Palilia, vel Parilia; Portunalia ſ. Portumnalia; Quirinalia; Robigalia; Saturnalia, Terminalia; Veſtalia; Vinalia; Vulcanalia; Volturnalia.* S.

Propriis hiſce adnumeres: *ſacrum.* Curt. IV. II. 10. *Legati ad celebrandum anniuerſarium ſacrum venerant; quatriduum,*

Iuſtin. II. c. IX. 9. *Quos quum viderunt quatridui teneri religione*; it. genitiuo Trinitatis, ſcil. *feſtum*. G.

FIDES.

Terent. Phorm. II. II. 4. *Pro! Deum immortalium*: Vbi Donatus ellipſin eſſe, & fidem, vel ſimile aliquid deſiderari, ait. Cic. in Oeconom. I. *Quid igitur pro! Deum immortalium, primum eam docebas quæſo?* S.

Adeſt Terent. Heaut. I. I. 9. *Pro Deum atque hominum fidem*; *Statius apud* Cic. de Nat. D. I. VI. pr. *Proh! Deum, popularium omnium, adoleſcentum clamo, poſtulo, obſecro, oro, ploro atque imploro fidem.* Vnde patet ſimul cauſſam quarti caſus eſſe a verbo ſubintellecto. vid. infra: *imploro*. G.

FILIVS, A.

Extat in quibusdam Terentii comœdiarum inſcriptionibus: *Flaccus Claudii* ſcil. *filius*, *modos fecit*. Virg. VI. Aen. 36. *Deiphobe Glauci*, ſubaudi *filia*. S.

it. In gnatus ſ. natus & gnata ſ. nata. quod pro ſubſtantiuo vulgo habetur, eſt autem participium verbi naſcor. G.

FINIS.

Virg. VI. Aen. 62. *Hac Trojana tenus fuerit for-*

fortuna ſecuta, ſubaudi: *fine*. Nam finis etiam femininum eſt, ut ſæpe apud Lucretium invenies: Virg. II. Aen. 554. *Hæc finis Priami fatorum*; id. *aut qua fine ſequar.* Sic *eatenus, quatenus, hactenus*, *i. e. tenus hac fine, vel via.*

In genitiuo plurali cum hac particula poſito, addatur, *fine*. Virg. III. Georg. 53. *Et crurum tenus a mento palearia pendent*; Apulei. Florid, p. 340. *Aquila quum ſe nubium tenus altiſſime ſublimauit*, i. fine, & h. l. via. G.

Flos.

Florem ſubauditur in hoc Virgilii Georg. IV. 182. *Crocumque rubentem*: Nam crocum ex regula terminationis neutrum eſſe, Seruius his Saluſtii Verbis probat: *in qua crocum gignitur*; ſimiliterque Curtius L. III. c. IV. 10. *Corycium nemus, vbi crocum gignitur.* Sc.

Fluvius.

Virgil. VII. Aen. 517. *Sulphurea Nar albus aqua*, ſubaudi, *fluuius*: Nar enim neutrum eſt, quia indeclinabile; Cic. IV. Attic. Ep. 14 *Lacus Velinus a M. Curio emiſſus interciſo monte in Nar defluit.* S.

Mart. L. XII Epigr. 99. *Rector Aquarum Albula*; Auſ. Idy. X 3. *Corniger externas celebrande Mo-*

Moſella per oras, nec ſolis celebrande locis; Tibull. I. Eleg. VIII. 11. *Formoſus Duria ripis.* Sic & *Sequana*, conf. *amnis*. G.

Fodina.

Subauditur in auraria, argentaria, ferraria, Cæſ. de B. G. VII. 22. *Apud eos magnæ ſunt ferrariæ;* Liu. XXXIV. 21. *vectigalia ex ferrariis*, Sc.

Adiectio eſt Plin. XVIII. 16. *aqua ferraria*. id. XXXIV. 13. *æraria officina*, vti pro *fodina* nonnumquam valet *officina*, ſic etiam *taberna*. Non enim promiſcue ſignificant, quippe ex fodina eruuntur; in officina eruta conficiuntur, & in taberna venduntur æra confecta. vid. Fabri Theſaur. ad vocem *officina*. G.

Frater,

Terent. Adelph. V. VIII. 34. *Nunc tu mihi germanus es corpore & animo, ſcil. frater;* Cic. pro domo, cap. XLV. *Frater germanus;* Iuſtin. XXVII. III. 12. *fratres quaſi & germani caſibus exules ambo;* Nep. V. I. 2. *frater germanus;* Suet. Cæſ. c. XXIX. *qui fatri patrueli ſucceſſerat.*

Aliquando igitur patruelis abſolute poſitum reſpicit: *frater it. ſoror.* Sunt autem fratres

tres patrueles fratrum duorum filii. Cic. de Fin. I. 5. *Noſter cognatione patruelis, ſcil. frater.* P.

Addidit Suet. Cæſ. c. XXIX. *Marcellus, qui fatri patrueli ſucceſſerat*; Iuſtinian. L. III. Tit. II. n. 1. *Eodem numero ſunt fratres patrueles.* G.

Fravs.

Deeſt in phraſi, *imponere alicui*, einen betrügen. Nep. in Eum. V. 7. *Simulata deditione, dum de conditionibus tractat, præfectis Antigoni impoſuit, ſc. fraudem.*

Frenvm.

Virg. Ge. III. 208. *duris parere lupatis, i. frenis.* Solin. c. 45. *ſpernere lupatos, i. frenos*: nam maſculine etiam dicitur freni. adde, Hor. I. Od. VIII. 6. *frena lupata, Gallica nec lupatis temperet ora frenis.* S.

Frvmentvm.

Vrere ſata, i. frumenta. Virgil. III. Ge. 176. *frumenta manu carpes ſata*; id. Ecl. VIII. 99. *atque ſatas alio vidi traducere meſſes*; Pomp. Mel. III. 9. *pro ſatis frugibus.* S.

Inde de abſolutis habes, quod ſentias. Virg. Ecl.

Ecl. III. 82. *dulce ſatis humor*; id. Ge. I. 325. *Et pluuia ingenti ſata læta boumque labores*; Quinct. procem. L. VIII. *Velut lætogramine ſata ſtrangulant.* G.

FVNVS.

Iuſta perſoluere, *i. funera.* Cæſ. VI. Gall. 4. *iuſtis funeribus confectis.* vid. *officium.*

FVNIS.

Iuuen. Sat. VI. 103: *duros gaudet tractare rudentes,* ſubaudi, *funes.* Plaut. Rud. IV. III. 1. *dum hanc tibi, quam trahis, rudentem, complico, ſupple, funem*: nam funis ambiguum fuit, & rudens participium eſt a rudo. S.

GENVS.

Genus ſubauditur in animal, quod non aliud eſt, quam *animale.* Lucret. I. *Vnde animale genus generatim in lumina vitæ reducit venus*; Cic. Tuſc. I. 17. *Siue illi (animi) ſint animales*, i. e. ſpirabiles, *ſiue ignei.* Sc.

Maſculinum, *femininum*, *neutrum, cet.* abſolute poſita, vel pueri intelligunt, ubi de generibus nominum quæſtio. G.

GLADIVS

Petere, *adpetere aliquem*, *ictum inferre ali-*

alicui gladio ſolent, quod ſcil. verbum vel ſimile huic ſubaudiendum. Virg. Aen. IX. 439 *At niſus ruit in medios, ſolumque per omnes Volſcentem petit*; Curt. IV. VI. 16. *gladio barbarus ſtrenue in dextram translato, ceruicem adpetit regis.*

Suppl. Curt. VIII. XIV, 29. *Copidas vocant gladios leuiter curuatos falcibus ſimiles, quis adpetebant belluarum manus*; Ouid. Met. V 185. *Pectora Lyncidæ gladio petit.*

GRATIA.

Terent. Eunuch. III. I. 7. *Vel Rex ſemper maximas mihi agebat, quidquid feceram, aliis non item.* ſubaudi: *gratias. id. Magnas vero agere gratias Thais mihi?* v. 1. S. eeſt in prouerbio; *par pari refertur*; quod integrum habet Phædr. L. III. F. II. 1. *Soleta deſpectis par referri gratia.* G. æter ea, quæ ſupra de cauſſa dicta ſunt, adeſſe poteſt in formulis: *monere, admonere, commonere, commonefacere aliquem alicuius rei*, ſi quidem genitiui ratio detur.

Iem voce græcorum more, quamquam arius gerundium in (di) deſtituitur. Terent. Adelph. II. IV. 6. *Ne id aſſentandi magis, quam quod habeam gratum, facere exiſtimes*;

mes; Latinias Nep. Cimon. IV. 1. loquitur: *Numquam hortis cuſtodem impoſuit fructus ſeruandi gratia.*

Suppleatur denique in participio paſſiuo, Tacit. Annal. II. c. LIX. I. *M. Silano, L. Norbano Coſſ. Germanicus Ægyptum proficiſcitur, cognoſcendæ antiquitatis; ſcil. gratia.*

Hasta.

Huius Ellipſin vide in voce: ſubiicere, feil machen, loßſchlagen, Suet in Calig. c. 38. fin. *Auctione propoſita, reliquias omnium ſpectaculorum ſubiicit;* haſtæ enim ſubiiciebant vendenda.

Herba.

Plin. H. Nat. L. XXVI. c. 14. *dictamnum pota ſagittas pellit*; it. L. XXV. c. 8. *Inueneruut & canes canariam, qua faſtidium deducunt*; id. ibid. c. 7. *Gentianam inuenit Gentius, rex Illyriorum.* ibid. c. VI. *Ipſi Mithridati Crateuas adſcripſit vnam, Mithridation vocatam.* L. XXIV. c. XV. *Chamæciſſos ſpicata eſt* His aliisque pluribus addendum ſubſtantiuum *herba*, quod citatis locis deprehenditur additum. S.

Historicvs.

Perhibent, tradunt, aiunt, cet. ſcil. *hiſtorici ſiue ſcriptores.* Gell. I. c. 5. init. *Demoſthenem tradunt & veſtitu, ceteroque cultu corporis nitido - - fuiſſe.* Pro: *tradunt.* Alii quidem legunt; *traditum*; ſed hic quoque ſubaudi: *ab hiſtoricis.* Virg. Aen. VIII. 324. *Aureaque vt perhibent, illo ſub rege fuere ſecula.*

Homo.

In adiectiuo maſculino abſolute poſito, deeſt: *homo.* Vt, *tu es miſer*; *ego ſum ſaluus*; *Petrus eſt albus*; *Cicero eſt Romanus.* S.

Aquinas, Arpinas, noſtras, adiectiua ſunt, quæ, ſi abſolute dicantur, deeſt *homo*, vt: *L. Cilnius fuit Mæcenas.* vid. Varr. L. I. Analog. *in calce.*

Amicus, familiaris, neceſſarius, liber, ſeruus, tabellarius, nuntius, ſocius, maritus, mercenarius, riualis, & multa huiusmodi ſemper adiectiua ſunt, deeſt *homo.*

Triumphalis, prætorius, conſularis, ſubaudi, *vir* vel *homo.* vid. Laurent. Vallam, L. IV. c. 84. *Magnates, optimates, maiores, minores, ceteri, mortales*, ſubaudi *homines*;

item *Brutii*. *Itali*, *Hiſpani*, *Adoleſcens* & *iuuenis* adiectiua ſunt. deeſt *Homo* vel *Mulier*.

Supplementum lege Ter. Adelph. II. I. 45 *Homini miſero plus quingentos colaphos infregit mihi*; Virg. X. Aen. 719. *Venerat antiquis Coriti de Finibus Acron, Graius homo*: Sc.

Cic. pro Arch. C. VII. *Ex hoc eſſe hunc numero, quem patres noſtri viderunt, diuinum hominem Africanum*; Id. de orat. L. I. p. 187. edit. Gothofredi: *Imitatus eſt homo Romanus & Conſularis veterem illum Socratem*; Id. de Nat. l. 124. *Epicurus homo ad ſcribendi licentiam liber*.

Ter. Phorm. I. V. 62. *Seruom hominem cauſſam orare, leges non ſinunt*; Ouid. Faſt. I. 286. *Tradiderat famulas iam tibi Rhenus aquas*; Liu. I. c. 32. *Hominibusque priſcis latinis*.

It, C. 59. *Romanos homines opifices* Cic. I. de orat. n. 117. *Neque hæc dico, vt homines adoleſcentes a dicendi ſtudio deterream*; Ter. Phorm. V. III. 10. *Parce, ſodes, vt poſſis cum illa, ne te adoleſcens mulier defatiget*; Ouid. VII. Metam. 295.

iuuenes

iuuenes nutricibus annos poſſe ſuis reddi; In verbis ad famam pertinentibus notum eſt, deeſſe. *homines* vt: *aiunt, ferunt, prædicant*. Sed quia Grammatici negant, alia verba poni poſſe in actiua forma, ſiue ſuppoſito, ſed ſtatim recurrendum ad paſſiuum, ita vt, bellum geritur, dicatur; non bellum gerunt: *contrarium adſeramus*.

Promiſcue & actiua & paſſiua locutio occurrit, e. g. Plaut. Curcul. IV. II. 17. *Culpant eum, conſpuitur, vituperatur*; Salluſt. de Catil. C. LX. *Poſtquam eo ventum eſt, vnde a ferentariis prælium committi poſſet; maximo clamore infeſtis ſignis, concurrunt, gladiis res geritur*, cet. Iuuen. Sat. I. 139. *Vna comedunt patrimonia menſa*; Curt, IV. II. 13. *Sed quum fornacibus ferrum, quod excudi oportebat, impoſitum eſſet, admotisque follibus ignem flatu accenderent, ſanguinis rivi ſub ipſis flammis exſtitiſſe dicuntur. cet.* P.

Vbi vulgo verbo *ſum* genitiuus tribuitur, idem ſuppleri poteſt, e. g. Nep. in Alcib. C. II. 1. *Thucydides eiusdem fuit ætatis*; Terent. Andr. III, V. 2. *Quandoquiden tam iners, tam nullius conſilii ſum.* G.

HORA.

Horat. - - - *Ad quartam iaceo. ſubaudi, horam*;

horam; ſic dicimus: *ſonuit prima, tertia, nona.* S.

Antehac, poſthac, poſtea, poteſt eſſe ablatiuus & intelligi, hora, ut in haſtenus. Certe ante & poſt ſæpe ablatiuis iunguntur. P.

Quum in ſcholis dicitur: *Auditur,* intelligis, *hora* vel *ſignum.* G.

Horologivm.

Cic. 59. pro Quinctil. *Non ad ſolarium, non in campo, non in conuiuiis verſatus eſt;* ſubaudi, horologium. vid. Plin. L. VII. c. 60. S.

Hortvs.

Pomarius veteribus in vſu erat, teſte Chariſio, vt ſcil. ſubaudiatur, *hortus.* In plurali *pomaria,* nempe *loca,* vel *ſepta.* Monet idem Chariſius, pometa dici, vbi poma naſcantur, pomaria autem, vbi poma ſeruantur. Cicero tamen & alii pro pometa dicunt, pomaria. Sc.

In vinea intelligitur *arbor* vel *porticus.* Quia vinea adiectiuum, non a vino, ſed a vite, quaſi, vitinea. Nam machina bellica quoque vinea dicitur, qua tecti milites in obſidionibus opus militare faciebant, & formam porticus exhibebat. vid. Caſſiod. de

de Orthogr. c. I. *Neque aliunde vineæ caſtrenſis cet.* Notat autem & arborem vineam, vbicunque loci ſitam, Beda de Orthogr. Vinea ſi arborem ſignificat, in prima ſyllaba į longum debet habere. Vites maxime ſerebantur ad alias arbores, vt in & per eas ſe erigerent. Hinc Tacit. Hiſt. II c. 42. coniungit arbores & vineas: *per locos, ait, arboribus & vineis impeditos.* P.

IACVLVM.

Virgil. Aen. IX. 519. *pellere vallo Miſſilibus certant.* S.

Curt. IV. IV. 9. *Rex portum intrare non potuit, quum procul e muris miſſilibus ſubmoueretur;* Liu. XXXIV. c. 39. *Lacedæmonii miſſilibus pugnabant,* i. *iaculis vel telis.* G.

ICTVS.

Ellipſis huius occurrit Curt. IV. VI. 16. *Qui exigua corporis declinatione euitato ictu, in vanum ſcil. ictum, manum barbari lapſam amputat gladio.* Pro *ictum,* etiam eſſe poteſt negotium.

IDEM.

Plio. L. VIII. c. 42. *Equo fere, qui homini morbi,* ibid. c. 34. *Tarando magnitudo,*

quæ boui. ſcil. *eadem*, *quæ boui*: *Iuuen.* Sat. I. 1. *Semper ego auditor tantum? nunquam ne reponam* cet. ſubaudi, *idem* vel *vicem*, S.

Cic. Verr. III. 1. *Eſt idem Verres*, *qui fuit ſemper*. G.

Ignominia.

Cenſorum erat notare malos ignominia, Ouid. Tr. II. v. 7. *Carmina fecerunt*, *vt me memoresque notaret;* Hor. L. I. Sat. III. 24. *Stultus & improbus hic amor eſt, dignusque notari.*

Additum Cic. Fam. VI. Ep. 6. *Vt in eam ciuitatem boni viri & boni ciues nulla ignominia notati, non reuertantur* Id. Philipp. VII. 9. *reſpondendum honorifice eſt Marrucinis, qui ignominia notandos cenſuerunt cet.*

Ilia.

Inteſtinus adiectiuum eſt, Cic. ad Brut. Ep. X. pr. *malum inteſtinum*. Sulpic. ad Cic. IV. Ep. 5. *dolor inteſtinus.* Si inueniatur inteſtinus, deeſt ileos maſculinum, latine conuoluulus ſignificat etiam gracile inteſtinum. poteſt & intelligi colon, quod idem eſt. P.

τὸ ileos non proprie inteſtinorum. partem ſignificat, ſed dolorem, probatur, Iſidor. Orig. IV. 6. Plin. H. N. XXX. 20. Intelligitur per inteſtinus: *venter*.

Plaut. Caſin. IV. III. 6. *Mihi inanitate iamdudum inteſtina murmurant.* Cic. Fam. VII. Ep. 26. *Quum decimum iam diem grauiter ex inteſtinis laborarem*, Plin. XX. 21. *inteſtinorum roſiones*. G.

Confer. Celſus IV. 1. *Ilia inter coxas & pubem imo ventre poſita ſunt.*

Ille vel Is.

Sæpe ſupplendum in relativo *qui, quæ, quod*, Curt. VIII. II. 14. *Quam Clito autem deſtinauerat prouinciam, Amyntæ dedit*, Accuſatiuus nonnumquam deeſt in verbis infiniti modi, Liu. II. 23. *Noſcitabatur tantum tanta deformitate & ordines duxiſſe aiebant*, ſcil. eum; præſertim vbi de duobus ablatiuis conſequentiæ ſolum alter participii occurrit, Sueton. Othon, C. VI. *Ibi miſſis*, ſcil. *illis, qui Galbam & Piſonem trucidarent*; C. VIII. *Nec niſi viſo*, ſcil. *eo, deſtiterunt.*

Extat Nep. XVII. V. 3. *Se enim eum eſſe dixit, qui ad officium peccantes redire cogeret.* ibid. §. 4. *Nam ſi, inquit, eos exſtinguere voluerimus, qui nobiscum aduerſus barbaros ſteterunt*; id. Epam. I. I. *Neue ea, quæ ipſis leuiora ſunt, pari modo apud ceteros fuiſſe, arbitrentur.*

IMPERIVM.

Valla L. III. c. 34. *Potiri rerum* in genitiuo dici adfirmat, cum aliis nominibus in ablatiuo; vt, *potiri victoria.* Dupliciter fallitur: nam & alios genitiuos admittit, vt, *potitus Aſiæ, Galliæ*, cet. & ille genitiuus non a verbo, ſed a nomine pendet, *imperio puta, vel negotio.* Vidit hoc Aſcenſius in epitome eiusdem capitis. Cæſ. B. G. I. III. 8. *Totius Galliæ ſe ſe potiri poſſe ſperant*; & paulo ante: *totius Galliæ imperio potiri.* Subaudiri etiam poteſt *ſumma*: dicitur enim *ſummam regni adipiſci.* Nep. in Eum. III. 4. *Semper habiti ſunt fortiſſimi, qui ſumma imperii potirentur.* S.

INGENIVM.

Ouid. Tr. III. V. 41. *Neue hominum referam flexos ad mitius iras.* Ad mitius *ſcil. ingenium.*

IN-

INTEGER.

Supple Virg. Aen. I. 272. *Ilus erat, dum res ſtetit* (integra) *Ilia regno.*

INSVLA.

Delphica Delos, Phœbea Rhodus, ſubaudi: *inſula.* Nam quamuis Delos ex terminatione poſſit eſſe femininum, libentius tamen adiectiuũ reſpicit nomen generale. Virg. Aen. II. 22. Eſt in conſpectu Tenedos, *notiſſima fama, Inſula*; Plaut, Rud. II. VI. 59. f. *Iam poſtulabas te totam Siciliam deuoraturum Inſulam.* vid. Vrbs. S.

ITER.

Quo is? quo tendis? quo pergis? ſubaudi, *iter*: *vel curſum*, Lucret. III. *ſtrauit, iterque dedit legionibus ire per altum.* Virgil. *Tendit iter velis*; Saluſt. *Maturauere iter pergere*; Val. Flacc. L. IV. *pergere iter*; Stat. II. Theb. *quo tendis iter?* S.

Etiam in inuadere, euenire, adpetere & expetere, ſubauditur *iter*, ex ſententia Scioppii; Perizonius autem ſubintelligit per, ſiue ad, quia ſimplex peto non ſit a ποθῶ, deſidero, ſad a πέτω, πέτομαι, quod ſignificat actionem citatiſſimo impetu ruentem. P.

Virgil. XII. Aen. 913. *Sic Turno, quacunque viam virtute petiuit*; Cic. III. Attic. Ep. 8. *ille incertus vbi eſſem, alium curſum petiuit*; id. pro Planco LXXXXVII. *iter a Vibone Brunduſium terra petere contendi.* Iam expetere viam eſt idem, quod euadere viam i. e. peruadere, finire, ſicut eludere *luſum*, *elugere luctum*, eſt, *ludo & luctu: finem facere.* Similiter, *repetere ad locum aliquem, pro redire* dicitur, ſubaudito, *viam;* Virgil. Cul V. 117. *Ima ſuſurrantis repetebant ad vada lymphæ*, vbi Scaliger perperam repebant, inuitis omnibus libris reponere conatus eſt. Liuius quidem L. XXXV. - - - plena oratione dixit: *Viam, qua venerat, repetere melius viſum.* Sc.

Subauditur quoque *iter* in hoc Ciceronis IV. Tuſcul. 41. *incitata ſemel in procliue labuntur.* Liu. *quo magis ſucceſſerit in arduum, eo facilius per procliue pelli poterit.* Simili modo, via accliuis & præceps dicitur: nam iter eſt in via. Liu. XXXVI. - - - *In illa valle iter eſt non latius, quam ſexaginta paſſus.*

Cic. V. Attic. 16. *in caſtra properant, quæ bidui aberant*, ſubaudi; *itinere vel via*

Id.

Id. XV. Fam. Ep. 4. *Aberam ab Amano iter vnius diei*; id. planco: *quum abeſſet aliquot dierum viam*; Cæſar - - - *quum tridui viam proceſſiſſent*; id. L. VI. *Non longius bidui via aberant*; Liu. L. XXX. - - - *Zama quinque dierum iter ab Carthagine abeſt.* S.

Omiſit Ouid. Triſt. l. III. 7. *Nec mens, nec ſpatium fuerant ſatis apta paranti*, i. iter. vti legimus in compoſito, Nep. VII. X. 3. *Quum ille eſſet in Phrygia iterque ad regem compararet.* G.

Ivdex.

Mittere in Conſilium, inquit Aſconius eſt, perorare: nam mittere iudices in conſilium, eſt, dimittere iudices ad ſententiam dicendam, vbi allegatis omnibus argumentis, orator dixit, dixi! Cic. III. Verr. 26. *Teſtibus editis ita mittam in conſilium, vt etiam, cet.* S.

Valer. Max. L. VI. C. II. expreſſit: *iam de tuo prius, quam te Manilii capite in conſilium iudices mittam*, Cælius ap. Cic. VIII. Fam. Ep. 8. *Mittit in conſilium eosdem illos iudices*,

Ivdi-

IVDICIVM.

Saluſt. Falſo *queritur genus humanum*, ſubaudi: *iudicio*. Terent. *Sororem falſo creditam*, cet. Cic. pro Balbo XI. *Nos Pompeii decretum iudicium de conſilii ſententia pronuntiatum recognoſcimus*. S.

Aduerbia in O pæne omnia ſunt adiectiua ablatiui, quorum vltimam nonnumquam corripuerunt, non attendentes ad Grammaticam, ſed ad vſum. P.

Cic. pro domo c.IX. *decreta lex*; Nep. VII. VII 1. *Ei omnes honores decreti*; Vell. II. LVIII, 4. *illud decreti Athenienſium celeberrimi exemplum*. decretum, i. *iudicium*. G.

IVSTVM.

Iuſto ſubauditur in nominibus comparatis, vt: *eſt liberior, eſt ad rem attentior*. Nep. in Themiſt. II. I. 2. *Liberius iuſto viuebat & rem familiarem negligebat*; Quinctil. *Membrum iuſto longius*. ſicut Horat. *plenius æquo laudare merces ſuas*; Liu. VIII. 15. *Suſpecta propter mundiorem iuſto cultum*. Sc.

LAPIS.

Ouid. III. Metam. *Dextraque molarem ſuſtulit & magnum magno conamine miſit*, ſub-

ſubaudi: *lapidem;* Stat. L. V. Theb. 571. *Librati ſaliunt portarum in clauſtra molares.* S.

vid. Plin. XXXVI. c. 23. Quinct. II. 19. *dens molaris; lapis molaris.*

Latvs.

Terent. Hecyr. III. V. 17. *Fodere nolt, ſcil. latus mihi.*

Confer. Horat. L. I. Ep. VI. 51. *Mercemur ſeruum qui dictet nomina, læuum qui fodiat latus.* vid. Kockert Indic. ad Ter. ſub: *Fodere.*

Lavs.

Cur mihi detrahis? ſupple: *laudem;* Cic. *nec vera laus ei detracta;* Nep. XX. V. 3. *de rebus geſtis detrahere.* S.

Ornare abſolute poſitum nonnumquam eſt loben, herausſtreichen, Nep. Attic. XVIII. 1. *Fuit antiquitatis amator, quam adeo habuit diligenter cognitam, vt eam totam in eo volumine expoſuerit, quo magiſtratus ornauit;* Cic. Fam. VII. Ep. 5. *Si vis tu, ad me alium mitte, quem ornem,* *i.* laudibus ſ. honoribus. G.

Alibi Cic. II. Fam. Ep. 15. *Qui ornauit res noſtras*

ſtras diuinis laudibus; Ter: Eun. II. I. 8. ſic fere loquitur: *munus noſtrum ornato verbis, quod poteris.*

Lector.

Subaudiatur Ouid. Tr. III. XIV. 29. *Aequus* (ſcil. *lector ſ. cenſor*) *eris ſcriptis*, cet. it, in formula: *ne multis morer*, ſcil. *lectores*. vid. *morari*,

Legatvs.

Addi poteſt verbo mittere nude poſito Nep. II. II. 6. *Miſerunt* (legatos) *Delphos conſultum, quidnam facerent de rebus ſuis*; Phædr. l. III. 22. *alium rogantes regem miſere ſcil. legatos, ad Iouem*; Tacit. Hiſt. I. LXXIV. 3. *Rurſus ad vtrumque Germanicum exercitum ſenatus miſit*, i. legatos; Cic. Attic. I. Ep. X.

Plene Liu. II. XVIII. 9. *Legatos de pace mittunt*.

Lex.

Salluſt Iugurth. *Per Saturam ſententiis exquiſitis.* Sic *Iulia, Oppia, Manilia*, cet. i. Lex. S.

Liber.

Cic. XII. Attic. Ep. 34. *Scriptum eſt in tuo annali*,

annali, ſubaudi, *libro*; Virgil. Aen. I. v. 373, *Si vacet annales noſtrorum audire laborum*; dicitur etiam lex annalis, & annale tempus: diurnus aliquando accipitur pro libro in quo ſingulorum dierum rationes notantur. Iuuen. Sat. VI. 484. *Et cedens longi relegit transacta diurni*; Sueton. in Cad. C. XXXXI. *Exſtat talis ſcriptura in plerisque libris, ac diurnis, titulisque operum*. S.

Pugillaris, adiectiuum eſt, vt *Vitelliani, eborei, citrei, duplices, triplices*, ſubaudi. *libelli* vid. tabellæ,

Annales ſcil. *libri*, quales Taciti illi XVI. Ex vulgari inſcriptione eſſet, *Annalium* ſcil. rerum libri; de Gellio idem obſerues L. IX. C. 13. *Q. Claudius primo annalium*; Nep. in Hannib. XIII. I. *Atticus in annali ſuo* (libro) *ſcriptum reliquit*; Epitome exſtat Theologi Lipſienſis, cui titulus: *Breuiculus Theologiæ i. e.* libellus. G.

Idem notandum de primitiuo *Breuis*. Lam. prid. Alex. C. XXI. *Milites ſuos ſic vbique ſciuit, vt in cubiculo ſuo haberet breves* (libros puta) *& numerum &*

& tempora militantium ; Vopiſcus c. 1. *Breuem nominum conſcripſit* ſc. librum. ita Cellarius de Barbarismis p. 203.

LIBRA.

Falluntur Grammatici, qui credunt pondo ſignificare libram: imo vero vbi eſt pondo, deeſt *libra;* vt, ſi dicas, *corona centum pondo, aut mille pondo, deeſt* librarum. S.

Feſtus: centenas pondo dicebant antiqui, referentes ad libras, vt pondo ſignificet, ratione ponderis. Cic. *auri quinque pondo abſtulit, i. e. quinque libras auri;* Plaut. Aſin. II. II. 33. *quot pondo te cenſes eſſe nudum? i. e. quot librarum ponderalium.* Sc.

Nam Romanis duplex erat libra, vt Galenus ait, L. I. & L. VI. de compoſit. medicam; altera ponderalis, menſuralis altera. Quum igitur ponderalem indicabant, addebant, *pondo;* quum menſuralem *menſura.* Liu. L. IV. 20. *dictator coronam auream libræ pondo ex publica pecunia, populi iuſſu in Capitolio Ioui donum poſuit;* id. L. VI. decad. 3. *Pateræ aureæ fuerunt CCLXXVI, liberales ferme omnes pondo.* S.

Colum. L. XII. c. 20. *item myrrhæ quincunx, calami pondo libram, amomi pondo quadrans;*

drans ibid. C. LVII. *mellis adiicies pondo ſemunciam*. delirat igitur valla L. III. C. 13.

Pondo eſt ablatiuus ab abſoleto pondus pondi, & dicitur *pondo tot libræ* itidem, ut, *numero tot homines*. P.

Deeſt in genitiuo æris, vbi pecuniæ ſumma notatur. Gell. L. XX. C. I. *Si iniuriam alteri faxit, viginti quinque æris pœnæ ſunto: quis enim erit tam inops, quem ab iniuria facienda viginti quinque aſſes deterreant?* G.

Linea.

Ad incitas *redactus ſum*, ſubaudi: *lineas* rationem formulæ vid. in Theſ. Fabriano f. 537. vbi ex Scaligero ea exponitur. S.

Litera.

In illis, vocalis, conſona, muta, liquida, deeſt, *litera*. S.

Supplices nude poſitum, recentioribus maxime ſunt *literæ*. S.

Cic. L. XIII. Attic. 3. *Et paulo poſt tripli-ces remiſeras*, ſupple *literas*, *nam tri-duo abs te nullas acceperam;* Id. L. VII. Ep. *Quo mitterem aut cui darem, neſciebam*; id. *acceperam autem a Lentuli triumpho*

 datas;

datas; Tacit. in vita Agricolæ C. XVIII §. 9. *Ne laureatis quidem geſta proſecutus eſt*, ſupple, *literis*. Cic. Fam. I. Ep. 6. *Ego minus ſæpe ad vos do literas, cet.* S.

Locvs.

In adiectiuis plurimis, abſolute poſitis: Liu. I. 33. *Caſtris in aperto poſitis*, *ſubaudi*, *loco*; Virg. Ecl. VII. 2. *compulerantque greges Corydon & Thyrſis in vnum, ſcil. locum*; id. III. Georg. 433. *Exſilit in ſiccum*; it. L. IV. 303. *Sic poſitum in clauſo linquunt.* S.

id. Aen. I. 314. *Claſſem in conuexo nemorum*, cet. Hor. I. Ep. VII. 33. *Macra cauum repetes arctum; quem macra ſubiſti.* Sc.

Ouid. III. Triſt. IV. 17. *qui cadit in plano, vix hoc tamen euenit ipſum*; *ſi cadit, cet.* Sall. de B. I. c. XLVIII. *quæ arbores humi arido & arenoſo gignuntur*; Tacit. Annal. III VII. 1. *Vagus per amœna Aſiæ atque Achaiæ*, cet. Nep. in Them. IX. 3. *Poſtquam in tuto eſſe cœpi.* G.

Infernus, quò ſenſu apud Eccleſiaſticos occurrit, non probatur latine peritis, adeoque ad hunc locum non pertinet. vid. Cellar. de Barbar. p. 269.

Supplementum de ceteris eſt Nep. XVIII. VIII. 5 *quarum breuior via per loca deſerta*; *it.* § 6. *ſin per loca ſola contenderet*,

Plaut.

Plaut. Aul. *Nam compreſſit eam adoleſcens de ſummo loco;* Val. Max L. V. *in deſertum locum*; Iuuen. Sat. V. *Primo fige loco;* Actius apud Varr. *quis tu es mortalis, qui in deſerta & teſca te apportes loca? Supera loca,* dixit Varro. S.

Propert. II. El. xxviii. 49. ſ. *Sunt apud infernos tot millia formoſarum, pulchra ſit in ſuperis, ſi licet vna locis.* Cæſ. de B. C. III. 73. *Oppugnatione dimiſſa coactoque in vnum locum exercitu*; Cic. de Iuuent. I. 52. *vnum in locum cogi.* Sc.

In primo: ſecundo, quarto, quæ vulgo adverbia vocant, ſubintellige: loco. S.

it. in auerna, ſupera, fera, inferna, ſecreta, roſaria, pomaria, teſca, deeſt *loca.*

In vrbium quoque, prouinciarum & inſularum nominibus in genitiuo poſitis: *locus* ſubaudiri poteſt, vel potius *vrbs aut regio,* Vt: *natus Romæ, Cretæ ſepultus,* Virg. *Hic locus vrbis erit*; Horat. *Non eſt aptus equis Ithacæ locus.* Sc.

Nonnumquam in verbis, vt: Horat. l. Sat. VI. 102 *peregre abire vel exire* i. in locum peregre ſ. peregrinum; *cede maiori, concede*

præceptori, decede calori, tu mihi ſuccedes i. locum, Stat. *Hortantur ceduntque locum*; Cic. II. 83. Nat. aer *videtur quaſi locum dare & cedere;* id. in toga candida: *Vt tibi primum locum concederem*; Iuuen. Sat. VI. *Nam ſi conſtituit, ſi venire ad conſtitutum locum decreuit*, Sic. Plin. XII. 1. *platanus longis obtinens vmbris*, ſcil. *locum*. *ſ. terram ſpatium.* S.

Longitvdo.

Deeſt in genitiuis a menſuræ nominibus vulgo deriuatis, e. g. Cæſ. B. C. II. II. 2. *Aſſeres* (ſupple longitudine) *pedum duodecim cuſpidibus præfixi*; Colum. L. V. C. I. *Pedum eſt ſexaginta*.

Expreſſit hoc Plin. L. XVI. C. 32. *platanus longitudine quindecim cubitorum, craſſitudine quatuor vlnarum*; Colum. V. 1. *duo actus iugerum efficiunt longitudine pedum CCXXXX. latitudine pedum CXX.*

Lvdvs.

Virgil. Aen. VIII. 636. *Magnis Circenſibus actis*, ſubaudi: *ludis*. S.

Aſcon. in Autonium: *quum Sulla poſt victoriam Circenſes faceret. Sic Megaleſiis, Secula.*

ſecularibus, funebribus compitalitiis vid. Sacra. Sc.

Cic. II. Fam. Ep. 2. *Scripſi hæc ipſis Megalenſibus.* Ludos Cicero hic ſignificat, quum initio menſis aprilis darentur, quo Cicero ad Cælium ſcribebat, Romanorum ſimul memor, ſeptembri menſe habendorum, quibus Cælius pantheras ſpectaculo eſſe volebat. Manut. Comment. ad l. c. Epp. Fam. G.

LVMEN.

Subauditur in *funali & cereo.* Plaut. Curc. I. l. 9. *Tute tibi luces cereum;* Horat. III. Od. XXVI. 6. *hic ponite lucida funalia i. e. lumina* Val. Max. III. VI. 4. *Ad funalem cereum; præeunte tibicine, a cœna domum reuerti ſolitus eſt,* Ouid. Metam. XII. 247. *Lampadius denſum rapuit funale coruſcis.*

Adiectiuum vides apud Suet. in Tiber. C. VI. extr. *Currum Auguſti imitatus eſt ſiniſteriore funali equo.* Cic. de Seneſt. XLIV. *Duilius delectabatur crebro funali & tibicine.*

LYCHNVS.

Subauditur in Cereus. Martial. XIV. Epigr. 42, *Hic tibi nocturnos præſtabit cereus ignes.* Sc.

 Cic.

Cic. de Offic. III. c. xx. *omnibus viris ſtatuæ factæ ſunt , ad eas thus & cerei , ſcil. lychni.* P.

Senec. de breuit. *Vitæ*; extr. *Funera ad faces & ad cereos ducere.* quare Virg. Ecl. II. 53. *addam cerea pruna it.* Mart. L. X. Epigr. 94. *mittimus auctumni cerea poma mei.* G.

Maceratvs.

Terent. Eun. V. iv. 17. *quo pacto ex iure heſterno panem atrum vorent.* Donatus ſupplet. *maceratum, vel emollitum & madidum.* Frequens eſt hic loquendi modus apud Plin. & Corn. Celſum, vt: *radix ex aceto, offa ex vino.* S.

Perizonius *addit* : *ſumta, petita ex iure.* G.

Magnvs.

Hor. I Epod. I. *Ibis Liburnis intra alta nauium, Amice propugnacula. pro: amice magne.* Ellipſis omnino reſpectu Mæcenatis h. l. obtinet. *Curio ad Cic. Sed amice magne, noli hanc epiſtolam Attico oſtendere ;* Iuuenal. Sat. I. 33. *magni delator amici ; Id. Calcas Coniugis vrinam magnos viſurus amicos.* vid. Turneb. L. II. c. 24. *Aduerſ.* S.

Ma-

MANES.

Inferi & ſuperi adiectiua eſſe non dubitarim, quid vero cum his potius ſubſiſtat, quam manes, non video. Similis fere Eraſmi locutio in Colloq. p. m. 29. hanc ſententiam meam confirmat: *ab Hieroſolymis tibi adſum, non a profundis manibus.* Alibi adde: *Dei, ſpiritus, dæmones.*

MANVS.

Dextra, ſiniſtra, læua adiectiua ſunt, ſupple: *manus*; Catull. XII. 1. *Manu ſiniſtra non belle vteris in loco atque vino;* Cic. IV. Academ. 145. *quum autem læuam manum admouerat;* Plaut. Menech. *demam hanc coronam atque abiiciam ad læuam manum;* Sueton. Neron. *dextra manu pythiam.* vid. pars. S.

MARE.

Adagium: in tranquillo eſt; &, tranquillo quilibet gubernator eſſe poteſt, ſubaudi: *mari.* Virg. I. Aen. 7. *Multum terris iactatus & alto.* id. III. Aen. 208. *cærula verrunt, i. maria.* S.

Plaut. Ciſt. *tranquillo mari.* Virg. IV. Ge. *ſe iactu dedit æquor in altum.*

MARTIVS.

Non raro intelligitur per τὸ campus abſolute poſitum, quippe quo comitia haberi iuuentusque exerceri ſolita. Hor. III. Od. I. 10. *Hic generoſior deſcendat in campum*

petitor; Cic. in Catil. I. V. *Comitiis conſularibus me conſulem in campo, & competitores tuos interficere voluiſti*; Id. in Peſon. C. II. *Sit ſane fors domina campi.*

Sæpius coniunctim dicitur: Liu. II. V. 2. *Ager Tarquiniorum, qui inter vrbem ac Tiberim fuit conſecratus Marti, Martius deinde campus fuit.*

MEMBRVM.

Plin. L. XI. 49. Genitalia *maribus quibus eſſent retro*, cet. Id. l. c. *oſſea ſunt lupis ſcil. membra*; Tacit. Ann. XIV LX. 3. *Caſtiora eſſe muliebria Octauiæ reſpondit, quam os eius*; Plin. XX. 16. *Ad virilia ſua admouit nouaculam infeſtam.*

Petron. Cap. CVIII. κατ᾽ ἐξοχὴν vtriusque ſexus notam membrum vocat. Ouid. II. Amor. El. III. *qui primus pueris genitalia membra recidit*; Poeta Phallicus Epigr. LXIX. *Huius & Alcinor mirata eſt filia membrum.*

Adiectiue amplius dicitur Plin. XXVIII. C. 9. *Genitalia oſſea ſunt lupis*; Iſidor. II. 1. Plin. IX. 35. *genitalis hora*; Cic. Tuſc, II, VI. *Eneruata muliebrisque ſententia*; Terent. Phorm. III. VIII. 74. *animo virili præſentique vt ſis, para.*

MEMO-

Memoria.

Nota ſunt: illius mihi rei in mentem venit; *venit mihi in mentem de hac re*, das iſt mir eingefallen, Adde: *memoria, recordatio*, ſine quo & genitiuus & verbum inepte ſonant,

Mens.

Pertinet ad *ſubire*, einfallen, dencken, Plin. XXIX. I. *Subit cogitatio*; i. in mentem ſ. menti. Ouid. Triſt. III. El. II. 21. *Roma domusque ſubit deſideriumque locorum*; Virg. Aen. II. 560. *Obſtupui, ſubiit cari genitoris imago*.

Virg. X. 829. *Et mentem patriæ ſubiit pietatis imago*; Liu. XXXIX. 16. *ſubit animum cogitatio*.

Deeſt porro *in voluere*, hegen, nachdencken, überlegen. Quemadmodum enim Liu XXXV. 18. *ingentes iam diu iras eum in pectore voluere*. & Sall. de B. I. cap. CVIII. *multiplices animo voluere curas*. ſic Virg. Aen. I, 305. *per noctem plurima voluens*; Sall. I. c. C. XXXII. *Multa ſecum ipſe voluens* i. mente ſ. pectore.

Pendeo animi, *discrutior animi*, *infelix animi*, Placet hic, inquit Sanctius ad antiquam conſuetudinem recurrere, quae duo hæc nomina Mens & animus copulabat,

 vt

vt diſcrucior mentem, vel mente animi; Plaut. Ciſt. *Nullam mentem animi habeo;* id. Epid. *Pauor territat mentem animi;* Lucret. III. *denique cur animi numquam mens conſiliumque gignitur in capite;* id. L. IV. *Mens animi vigilat.* S.

Virg. IV. Aen. *Isque amens animi cet.* S.

Nonnumquam, vbi ipſe genitiuus mentis in ſimili locutione occurrit, Perizonius addit: *in parte.* e. g. Plaut. Trin. II. IV. 53. *Satin' tu ſanus mentis aut animi tui;* id. Epid. I. II. 35. *deſipiebam mentis,* i. in parte mentis. G.

Mensis.

Nomina menſium faciunt Grammatici maſculina, ſed falſo. adiectiua enim ſunt, deeſtque *menſis.* idem ſentit Valla, ſed accipe teſtimonia. Cic. Attic. I. II. *Ianuario menſe cura vt Romae ſis;* Horat. IV. od. XI. 15. *qui dies menſem Veneris marinae findit Aprilem.* Adag. *Menſe Maio nubunt malae;* Varro: *Fanum fortunae dedicauit Iunio menſe;* Mart. L. VI. Epigr. 59. *menſe vel Auguſto;* Horat. I. Ep. XI. 19. *Sextili menſe Caminus;* Cic. Attic. VI. Ep. 2. *quum Iunium menſem conſumſiſſem;* id. I. Ep. 1. *Excurremus menſe Septembri;* Mart. L. V. Epigr. 18. *Decembri menſe.* S.

Ad-

Adiectiue inſuper occurrunt iſta Mart. XII. 32. *O Iuliarum dedecus Calendarum ; id.* L. X. Epigr. 87. *Octobres age ſentiat Calendas ;* Horat. I. Ep. XVI. 16. *Septembribus horis ;* Adag. *October equus , apud Feſtum.*

Mensa.

Mart. L. XII. Epigr. 67. *Argentum , atque aurum non ſimplex delphica portat ;* Polit. in Ruſt. *Nec Mauruſiacos pulchræ teſtudinis orbes Delphica ſuſtentat* , ſcil. *menſa.* S.

Val. Maxim. L. IV. c. 4. *Extracta deinde magni ponderis aurea Delphica menſa ;* Cic. in Verr. VI. *Menſas Delphicas e marmore abſtulit.*

Mensvra.

Trita ſunt illa, *Altus ſeptem pedum ; decem pedum profundus*, ſubaudi: *menſura.* Lent. in Ep. Cic. *Naues onerarias, quarum minor nulla erat, duum millium amphorarum.* S.

Mercator.

Plaut. Capt. III. I. 27. *de compacto rem gerunt, quaſi in velabro olearii ,* ſubaudi: *mercatores.*

Mihi.

Mihi.

Prima perſona verbi. *temperare*, abſolute aliquando ponitur ſubintellecto mihi, e. g. Lactant. IV. 5. *quod in prioribus libris ne facerem, temperaui*; Plaut. Trin. V. II. 63. *At iam poſthac temperabo.* Sc.

Miles.

Triarii, *haſtati, pilati, lancearii, ſagittarii, ferentarii, peltati, cetrati*, cet. ſubaudi: *milites.* S.

Curt. III. XI, 10. *Macedonum promtiſſimi i. e.* milites; *caeſi*; Tacit. Ann. XIII. c. 38. *Tria millia tertianorum i. e. militum, permiſcuerat.* G.

Conf. Cic. de N. D. III. 10. *Tertiana febris*, vt de adiectiuo vocis tertianus, non ſit dubium.

Deeſt etiam aliquando *in comparare*, vt Nep. in Thraſyb. II. 2. *Fecit tempore dato ad comparandum robuſtiores.*

MILLE.

Plurale millia intelligitur aliquoties minori numero expreſſo, vt Nep. XIV. VIII. 2. *Praeterea Cappadocum octo, Armeniorum decem, Paphlagonum quinque cet.* ſcil. *millia.*

Miner-

Minerva.

Cic. XIII, Attic. Ep. 23. *Male mihi ſit, ſi vmquam quidquam tam inuita,* ſcil. *Minerua, cet.*

Modium.

Horat. I. Sat. I. 45, *Millia frumenti tua triuerit area centum, ſubaudi, modiorum; medimnorum* ſupplet Porphyrius. S.

Modus.

Quam dicimus: *quo pacto iſtud fiet?* intellige, *quo pacto, modo*; Horat. *quo peſſime pacto.* Nam pactus adiectiuum eſt, item quum dicimus: *qui fieri poteſt,* ſubaudi: *modo, vel pacto.* Qui obſeruante Perizonio, in ſexto caſu adiectiuum eſt, a græco lis, vt ſemper Plautus, e. g. Aul. prol. 24. *Aut, thure, aut vino, aut aliqui ſemper ſupplicat.* S.

Id. Stich. *quadrigas qui vehar.* Sic dicimus: *inueniam viam, quomodo me expediam*; Virg. Ge. IV. 158. *Namque aliae victu inuigilant & fœdere pacto.* vides, pactum non eſſe ſubſtantiuum. S.

In imo, crebro, *cito, ſero,* Perizonius intelligit: *modo ſ. negotio.*

Verbo-

Verborum inflexio fit per indicatiuum, ſubiunctiuum, imperatiuum, infinitiuum, cet. ſcil. *modum*. G.

Momentvm.

Huic vel voci pretium locus eſt in adiectiuis magni, *parui*, *pluris*, *tanti*, *quanti*, cet. aeſtimandi verbis iunctis, Cic. ad Q. Fr. L. I. *Magni intereſt*, *quo quisque audiat quotidie*. Id. Attic. II. Ep. 23. extr. *Parui refert abs te ipſo ius dici aequaliter & diligenter*, Id. l. c. ad Q. Fr. Ep. I. *intelligere te ſcio*, *quanti reip. interſit*, *omnes copias*, *cet*. Exprimitur ab eodem de Fin. IV. 17. *Minimi momenti eſſe ad aliquid*.

Morbvs.

Horat. L. I. Ep. VIII. 10. *Cur me funeſto properet arcere veterno*, ſupple, *morbo*; Catull. Carm. XXXXII. 7. *Solet haec imaginoſum*, ſubaudi, *morbum*, *pati*: *morbus imaginoſus eſt phrenitis*. S.

Latet etiam ſub *cubare*, morbum ſignificante, Horat. I. Sat. IX. 9. 17. *Trans Tiberim longe cubatis*, ſupple: *ex morbo prope Caeſaris hortos*. Id. II. Ep. II. 68. *Cubat hic*, ſcil. *ex morbo in colle Quirini*. G.

Conf.

Conf. Plaut. Caſ. prol. v. 37. *Eſtei quidam ſeruus qui in morbo cubat.*

Mons.

Altus Oſſa, *prealtus, Ida, igniuomus Aetna* ſupple, *mons. It. Auentinus, Palatinus, Quirinalis, Viminalis. Cretea ida*, dixit Ouidius, ſecutus terminationem; & Lucan. L. I. *Siculæ Aetnæ Ora.* S

Mors.

Iuuen. Magnus *ciuis obit & formidatus Othoni* ſubaudi *mortem;* Virg. Aen. l. 98. *queis ante ora patrum contigit oppetere,* ſupple, *mortem;* Terent. *Ea obiit mortem;* Cic. pro Mil. *primum illud vulnus accepit, quo teterrimam mortem obiret,* Virg. *Morte obita;* Cic. I. diuinat. *æquius eſſe cenſuit, ſe maturam oppetere mortem,* cet. Id. de offic. L. 3. 113. *Aiax traditur millies mortem oppetere maluiſſe,* cet. *Mortem occumbere, paſſim legis.* S.

Apud Ciceronem *tamen* Tuſc. I. 42. In plerisque veteribus libris ſcriptum legitur: *qui pro patria morte non dubitaret occumbere*; vt occumbere ſit velut occidere, procumbere a morte, velut cauſſa; Obire valet adire; nam

nam ob pro ad dicebant, teſte Feſto. Eſt ergo obire mortem vel diem ſuum ad conſtitutam mortis diem adeſſe; adire mortem, ad mortem peruenire; Virg. I. Aen. - - - *Seu verſare dolos ſeu certe occumbere morti; pro morte*; Liu. I. *Caccus claua ictus morte occubuit;* Ouid. XV. Metam. *Crudelitate patris ſcelerate & fraude nouercæ occubuiſſe neci; pro nece.* Sc.

Mos ſ. Ingenivm.

Terent. Andr. IV. vi. 22. *optime hoſpes, pol, Crito, antiquum obtines,* vbi donatus per Ellipſin ſupplet, *morem ſ. ingenium*; Plaut. Moſtel. III. II. 102. *Antiquum obtines hoc tuum, ſc. ingenium*; Ter. Eun. V. ix. 36. *Non cognoſco veſtrum tam ſuperbum.* S.

Id. addidit Hecyr. V. iv. 20. *At tu o Caſtor, morem antiquum atque ingenium obtines.*

Mvnvs.

Dare gladiatorium, ſubaudi, *munus*, vt notat Aſcon. Pædianus ex Philipp. IX. & L. II. Attic. Ep. S.

Plaut. Menech. V. ix. 93. *date mihi præconium;* Cic. Fam. V. Ep. 18. *facere præconium*; ſubaudi, *munus, ſ. officium præconis.* Sc.

Deeſt

Deeſt interdum in genitiuis, qui cum verbo ſum, formam, rationem, vel officium deſcribunt: Suet. in Tib. C. XXXII. *Boni paſtoris eſt tondere pecus; non deglubere;* Curt. IV. XIV. 12. *Mearum fuit partium;* Salluſt. Iug. C. XIV. *Erat maieſtatis, populi Rom prohibere iniuriam:* vti Cic. Fam. II. Ep. V. *Tuum hoc eſt munus, tuae partes.* G.

Quum Cic. Tuſc. V. 41. dicit, *arbiter honorarius*, & Sueton. in Aug. *honorarii ludi;* etiam voci honorarium abſolute poſitæ nomen ſuum tribuendum eſt, nempe: munus.

Natus.

Præ Sanctii ſupplemento qui vult frugi, rectius hoc poſuit Perizonius; quum per ſe ſenſum reddat phraſi conformem in Plaut. Aſin. II. III. 23. *Lena, quæ frugi eſſe vult, non bene agit, cet.* idem Priſcianus L. VI. p. 682. it. L. XI. p. 924. *Similia legimus* Tacit. Ann. I. 51. *inceſſit itineri & prælio,* ſcil. *paratus*; Sall. Cat. Cap. XXXII. *quod neque inſidiae Conſuli procederent, h. e. inſidiæ conſuli ſtructæ.*

It. notandum hoc ſupplementum in formulis, *e re, pro re,* virg. Aen. IV. 337. *pro re pauca*

F loquar;

loquar; Catull. X. 8. *E re reſpondi, id quod erat.* Ter. Eun. I. II. 17. *ita res erat;* id. Andr. II. II. 23. *redeunti interea ex re ipſa mihi incidit ſuſpicio.*

Expreſſe: Terent. Adelph. III. I. 8. *E re nata melius fieri haud potuit,* Plaut. Caſin. II. V. 35. *ita rem natam eſſe intelligo.*

NAVIS.

Virg. V. Aen. 122. *Centauro vehitur magna,* ſupple, *naui.* vid. *auis.* Plaut. Aſin. II. I. 10 *Quo hanc celocem conferam? ſupple, nauem:* Celox enim à celeritate adiectiuum eſt. Plaut. Pæn. *Obſecro hercule operam celocem hanc mihi date;* Varro ap. Non 131 *remiuaga celox;* Apulei: *qui celocem regere nequit, onerariam petit.* S.

confer. Liu. VII. Decad. IV. *Naues quinqueremes celoces.*

Ibidem: *tiburnicas, prætorias, roſtratas, triremes, quadriremes, onerarias:* Cic. X. Attic. 14. *in aliquam onerariam corrependum eſt;* Cæſ. II. Ciu. *conſpicatæque naues triremes,* cet. id. III. Ciu. *naues triremes duas, quas Brunduſii faciendas curauerat;* Horat. Epod. I. 1. *Ibis Liburnis intra alta nauium, ſubaudi, nauibus;* & L. I. Od. XXXVII. *Sæuis Liburnis ſcilicet in-*

inuides deduci, cet. Sic enim legunt Victorius, & Lambinus, ſubaudito, *nauibus*.

Etiam in corbita, quæ a corbe videtur dicta, *nauis* ſubauditur, Lucil. *Quam malus naui corbita maximus vlla*.

Obſeruetur porro in verbis *ſoluere e portu*; *conſcendere*, *adpellere*: numquam tamen ex eruditorum ſententia, adpellit naui, nec adpellit nauis. Nam Sueton. in Tito V. *quum pateolos oneraria naue adpuliſſet*, *intellige*, ſc. conf. Ter. Andr. IV. V. 12. *Haud auſpicato huc me appuli*; Plaut. Merc. *confeſtim nauim ſaluimus*; & in Mil. *Niſi eat, ſe ſoluturum eſſe nauim*; & in Amph. *Hac nocte nauis noſtra ſoluta eſt e portu perſico*. Iuuen. Sat. VI. *Durum eſt conſcendere nauim*; Cic. *Haberetque in animo nauem conſcendere*; Cæſ. I. Ciu. *Milites ſilentio naues conſcendere iubet*; Val. l. c. 7. *quum ad littus nauem appuliſſet*; Cic. XIII. Attic. Ep. 21. *quum ad villam noſtram nauis adpelleretur*; idem XVI Fam. Ep. 9. *nos ea die cænati ſoluimus*; Ouid. *Certus es Aenea cum fœdere ſoluere nauem*; Cic. II. Q. Fr. Ep. 2. *Tu velim quam*

primum conſcendas ad meque venias; Idem XII. Fam. Ep. 25. *conſcende nobiscum & quidem ad puppim*, Dictiis. Lib. VI. *Aſcenderunt ipſi, ſolutis anchoralibus nauigant*; Cæſ. de B. C. III. C. I 4. *adplicatisque noſtris ad terram nauibus*; Sic Iuſtin. II. IV. 21. *quum Hercules ad littus Amazonum adplicuit, i. nauem*; Curt. IV. V. 21. *Hi dum adplicant crepidini portus, ſcil. naues.*

Negotivm.

Virg. Ecl. III. 80. *Triſte lupus ſtabulis.* S.

Sic Cic. de offic. I. IV. *Commune animantium omnium eſt coniunctionis appetitus*; Ter. Heaut. III. II. I. *Idem viſa eſt tibi haec meretrix, i. negotium.* P.

It. in interea, *præterea, poſtea*: Conf. Sall. *inter hæc negotia.*

Id. malum *videtur eſſe mors; it. tua refert; noſtra non intereſt, i. negotia.*

Tacit. H. II. 44. *Supereſſe militum, quod trans Padum fuerit;* Cic. de Inuent II. 2. *Quod voluntates quoniam nobis quoque accidit.* It. Virg. Aen. I. 422. *ſtrata viarum*; Horat. de ar. poet. v, 49. *abdita rerum*;

Deeſt

Deeſt & in *neutrali relatiuo*, vt: Pſalt. XXIII. *Virga tua & baculus tuus ipſa me conſolata ſunt*; *it. lunam & ſtellas, quæ tu fundaſti.* Ter. Eun. III. I. 14. *qui habet ſalem, quod in te eſt.* Nec in hac parte audiendi ſunt Grammatici cum ſua inepta ſyllepſi.

In illis; quæ vulgo vocantur aduerbia comparatiua, *vt*: *melius*, *peius*, *breuius*, *doctius* cet. ſupple, *negotium*. Vt: *doctius ſcribit Cicero, quam Cato, i. ſecundum doctius negotium, non eſt, quod agas gratias, i. e. negotium, ob quod agas gratias.* Nam dictio quod vbique locorum eſt relatiua, vt: *quod ſcribis de pecuniis.* Ita Thom. Linaer;

Plaut. Paucis *eſt quod te volo*, ſupple, *negotium;* Ter. Heaut. IV. VIII. 7. *quid mulieris vxorem habes*? Id. Hecyr. IV. IV. 21. *falſum enim eſt, quid, aliquid, id, eſſe ſubſtantiua, regereque genitiuum.* Nam adiectiua ſunt & genitiuus regitur a nomine ſubintellecto, *negotium*, etiam ſi dicas, *quid negotium negotii.* Et eſſe adiectiua, multa probant teſtimonia, ſed accipe pauca: Plaut. Pſeud. *Sed quid eſt tibi nomen;* Ter. *Nam Andriæ illi id erat nomen;* Val. Max. L. IV. C. I. *Non fore, vt poſtea*

 id

id officium ab illis præſtari poſſit; Plaut. Men. *Niſi occupo aliquid mihi conſilium.*

Sic nihil penſi habere, aut ducere, aut facere, i. negotii; Plaut. Epid. *Si plus dederis, referam, nihil in ea re captio eſt.* Sym. L. I. Ep. 69. *Nihil negotium eſt rebus cognitis immorari.* Sc.

Moris eſt, peſſimi exempli eſt, non opis eſt noſtræ, ſupple, *negotium; ita eſt,* ſubaudi, *negotium.* Plaut. Mil. *ita negotium eſt, videres.* S.

Cic. III. Fam. Ep. 12. *Non horum temporum, non horum hominum atque morum negotium.* P.

Cæſ. B. G. IV. 5. *Eſt hoc gallicæ conſuetudinis;* Ter. Heaut. III. II. 39. *Non eſt mentiri meum.* S.

Horat. *Eſt, vt viro vir latius ordinet arbuſta,* pro: *eiusmodi eſt negotium, ita res ſe habet;* id. *Non eſt, vt copia maior ab Ioue donari poſſit tibi;* Ter. Adelph. *Si eſt facturus, vt ſit officium ſuum;* id. Phorm. V. VII. 31. *Sin eſt, vt velis illam manere apud te, dos hic maneat,* ſubaudi, *negotium.*

Cic. IX. Ep. 14. *Eiusmodi ſpero negotia eſſe, vt vos iſtic commodiſſime ſitis*, pro: *ſpero eſſe. vt*, cet. id IX. Attic. Ep. 1. *de Domitio opinor eſſe, vt in Coſano ſit, & conſilium eius ignoretur*, pro: *ita negotium eſſe*; Plaut. Pœn. V. II. 112. *Si ita eſt, vt ſis Iacchonis filius.* Sc.

In participiis neutralibus deeſt *negotium*, i. e. infinitum ipſius verbi, vt: *lectum eſt, legendum erit*, *i. e. hoc negotium, quod eſt legere, lectum eſt.* S.

Nomen.

Subſtantiuum, adiectiuum, proprium, appellatiuum ſ. commune; maſculinum porro, femininum Grammaticis intelligitur *nomen.*

Facit & damnantium & abſoluentium genitiuos. Cic. VII. Verr. c. V. *Nomine ſceleris coniurationisque.* Sic Suet. in Cæſ. c. IV. *Capitis damnatus patria pulſus eſt;* Nep. in Phoc. III. 2. *Capitis damnatos patria pepulit*; Plin. L. II. Ep. 12. *Exercitus ratus, ſe ante ignauiæ condemnatum.* Aliis, *obligatio*, *perſolutio* ſupplere placat.

Perizonius cum Briſſonio huc refert illud Cic. in Topic. *Si quis damni infecti promiſerit;*

ex vlp. edicti fragmentum l. 7. dig. de damno inf. *damni infecti ſuo nomine promitti, alieno ſatis dari iubebo*; ibid. *Si ab eo, qui in poſſeſſione erit, damni infecti nomine non ſatis dabitur.* cet.

NVMERVS.

Hor. III. Od. XIII. 13. *Fies nobilium tu quoque fontium, i. in numero nobilium fontium*; Plaut. Mil. IV. II. 25. *Cedo ſignum, ſi harum Baccharum es*;

Suet. in Iul. C. X. *Cautum eſt de numero gladiatorum, quo ne maiorem cuiquam habere Romæ liceret.* S.

Quaternarius, *quinarius*, *denarius*, adiectiua ſunt, in quibus aliquando intelligitur *numerus*.

NVMVS.

Cic. de offic. III. c. 23. *An emat denario, quod ſit mille denarium;* Plaut. Rud. V II. 27. *præterea centum denaria Philippea*, cet. Neutri huic generi, quo Comicus hic vtitur, conuenit *numiſmata ſ. pretia.* Adiectione vtitur, Liu. VIII. C. II. extr. *Populus, iusſus pendere in ſingulos quotannis denarios numos quadringenos, quinquagenos.*

Vocem

Vocem ſeſtertius etymologia adiectionis vſus vindicat. Eſt quaſi *ſeſquitertius*. Nam ex ſententia Vitruuii III. I. efficiebatur ex duobus aſſibus tertioque ſemiſſe, Non alia eſt ratio Vocabuli aureus. vid. Plin. XXXV C. 10. Plaut. Rud. V II. 26. *Numi octingenti aurei in marſupio inſuerunt*,

Albus, vſu tritus, pecunia Francofurtenſis vulgo dicta; non quod ibi excuſa, maximam enim partem Moguntia, Hanonia, Darmſtadio prodiit. Vicinum autem Francofurtum ex mercatura copioſiſſimum eius habet reditum.

Nvntivm.

Renuntiare vitæ, ſubaudi, *nuntium*. Suet. in Galb. XI. *Non multum abfuit, quin vitæ renuntiaret*; Quinctil. *Mea quidem ſententia ciuilibus officiis renuntiabit*, ſcil. *nuntium vel repudium*; Plaut. Aul. IV. X. 53. *Me nunc renuntiare repudium iuſſit tibi*.

Nvx.

Auellana, *baſilica*, *iuglans*, *pinea*, *perſica*, ſubaudi, *nux*. Virg. Ecl. II. 52. *Caſtaneasque nuces*; Plin. L. XV. C. 22. *Nuces iuglandes, quæ & regiae dictæ ſunt*; Mart. L. XIII. *nuces pineae*, *nux perſica*.

Ocvlvs.

Ter. Eun. III. V. 53. *Ego limis adſpecto*, vide Donatum ſupplentem, *oculis*; Plaut. Bacch. V. II. 12. *Viden' limulis vt, obſecro, intueantur*; it. Mil. IV. vi. 2. *Adſpicit limis oculis*, Plin. L. VIII. c. 16. *Nec limis intueantur oculis*. S.

Officivm.

Regis eſt gubernare, patris eſt, filios erudire, vel regium eſt, patrium eſt, ſupple, *officium, munus, negotium*. S.

Terent. Andr. *Neutiquam officium liberi eſſe puto*; Cic. *Oratoris officium eſt*, cet. id. I. de Orat. 138. *Oratoris officium eſt dicere*, cet. Ter. Andr. *Nunc tuum officium eſt, has bene vt aſſimules nuptias.* id. Adelph. *Meum officium facio*; id. Phorm. *Iſthuc variat officium.*

Plaut. Truc. *Non amantis mulieris, ſed ſocræ fidentis officium fuit.* Sc.

Id. Moſt. I. III. 33. *Matronæ, non meretricum eſt, vni inſeruire amanti.* S.

Hoc quoque ſupplementum decet adiectiua *iuſtum*, Curt. III. xii. 15. *Iamque iuſtis defunctorum corporibus ſolutis, inſeras, officiis*, it. *meum, tuum, veſtrum cet.* Cic. V. Att. Ep. 13. *Intelligis, quam ſit meum, ſcire & curare, quid in republ. fiat*; Ter. Andr. IV.

IV. l. 54. *Tuum eſt, mihi ignoſcere;* it. Ouid. Triſt. IV. x. 80. L. IV. Faſt. 444. *Nulla mora eſt operæ veſtrum dare, vincere noſtrum eſt.* *vid. negotium, munus.* G.

OPERA.

Ter. Adelph. *Scire eſt liberum ingenium atque animum.* Sic dicimus: videre eſt, cernere eſt, *ſupple, operæ pretium*; Cic. IV. Fin. *operæ pretium eſt conſiderare*; Terent. Andr. *audireque eorum eſt operæ pretium, audaciam.* *vid. poteſtas.* S.

OPES.

Elliptice Cic. VII. Fam. Ep. 29. *Nos quod ſimus, quod habeamus, ſcil. opes.* Ouid. de A. A. III. 541. *Nec nos ambitio, nec amor nos tangit habendi,* ſcil. *opes*; Hor. L. I. Ep. VII. 85. *Immoritur ſtudiis & amore ſeneſcit habendi*; Phædr. L. III. prol. v. 21. *quamuis curam habendi penitus corde eraſerim.*

Vide Cic. de Offic. II. c. XII. *premitur inops multitudo ab iis, qui maiores opes habent*; Tacit. Ann. I. 1.

OPPIDVM.

Poteſt intelligi Curt. III. VI. 4. *pleraque tractus eius ſuæ facta ditionis.*

OP-

OPPORTVNVS.

Recte additur vocibus locus & *tempus*. Cic. in verr. Or. V. C. XIV. *quia iudicii populi ædilitas in loco, ſcil. opportuno, poſita eſſe videatur*; Liu. III. C. 36. *locum ſeditionis quærere, ſcil. opportunum;* id. IV. C. 31. *aperuerant ad occaſionem locum hoſti.*

Confirmat Cic. Fam. VI. Ep. 20. *Loco opportuniore nullo eſſe potuiſti;* Liu. XXXVI. 17. *Locis opportunioribus munitiones imponere.*

De altera voce, Ter. Andr. III. II. extr. *atque adeo in tempore eccum ipſum obviam Chremem*; Id. Heaut. II. II. 123. *In tempore ad eam ueni;* Hor. L. I. Sat. V. 47. *Hinc muli Capuæ clitellas tempore ponunt*; Conf. Cic. Fam. II. Ep. 19. *Literas opportuno tempore accipere.*

OPVS.

Rhetorica, *Bucolica*, *Georgica*, adiectiua ſunt, in quibus deeſt *opera*, vti: *Opera phyſica*; *in rhetoricis; in Georgicis.* S.

Mutuo amare, ſubaudi opere; ſicut, *maximo opere, ſummo opere amare, mirari, errare,*

errare, edicere, expetere, cenſere, facere, quærere. &c.

Cic. de offic. L. I. 122. *Eſt igitur adoleſcentis maiores natu vereri*, ſupple, *opus, munus vel officium*; Id. pro Archia: *ſed enim hoc non ſolum ingenii ac literarum, verum etiam naturæ atque virtutis fuit*; Quinct. - - - *cognitionis ſunt enim non inuentionis*, & inferius: *ſed etiamſi noſſe, quid quisque ſenſerit, volet, lectionis opus eſt, i. munus & officium*; S.

Illud Planci in Ep. Cic. L. X. Ep. 8. Male intelligitur a Grammaticis; *ſed aliquantum nobis temporis, & magni laboris & multæ impenſæ opus fuit*. Putant enim, *opus* regere genitiuum. Sed hos genitiuos regià particula *aliquantum*, quis non videt? Sic in Apul. L. VIII. corrupte legitur: *Sed mihi operæ eius opus eſt, pro opera.* Ergo opus hic pro negotio vel labore ſumitur. quaſi dicat: *opus & negotium fuit & temporis & laboris & impenſæ.* Sic Ouid. *non minor eſt virtus, quam quærere parta tueri; Caſus ineſt illis, hic erit artis opus, i. e. negotium & labor artis*, Mart. *non fuit hoc artis, ſed pietatis opus*; Plaut. Moſt. *verum id videndum, id viri docti*

doctus hoc efficere & præſtare debet. S.

Τῷ opus etiam accuſatiuus poteſt accedere per Ellipſin τȣ͂ Ad, ſ. quod ad, vti ablatiuus iungitur τῷ opus, omiſſo IN vel CVM e. g. Plaut. *opus eſt puero cibum*: id. Truc. I. 1. 71. *quid iſti ſuppoſitum puerum opus peſſimæ*; Voſſius forte in poſteriori loco quaſi infinito modo addit, Eſſe. P.

Etiam in tectorium ſubauditur *opus*. Vitrum II. 8. *parietes ita tectoriis operibus expoliti, vt vitri perlucidatem habere videantur*; Varr. III. R. R. II. *Villa polita opere tectorio elegantes*; Inſcriptio lapidis Salermitani, *pauimenta marmorea, opus tectorium*. Sc.

Quum legimus: *hoc age*, ſimiliter *opus* ſubaudimus, Horat. I. Ep. VI. 30. *Si virtus hoc vna poteſt dare, fortis omiſſis hoc age deliciis*; & mox: *Hoc primus repetas opus, hoc poſtremus omittas*; ſic L. I. Ep. III 28. *Hoc opus, hoc ſtudium; parui properemus & ampli*.

Oratio.

Prorſa, non verſibus ſcribit, ſubaudi: *oratio*:

tione. ***Prorſa,*** vt ait Donatus, a prorſus dicitur, non proſa, quaſi profuſa. Prorſum antiqui rectum adpellabant, vnde prorſi limites apud Feſtum; & prorſam Deam vocabant, quæ rectos partus educeret; Colum. X. præf. *prorſa oratione prioribus ſubnectentur exordiis.* Ex *prorſum* poſteriores fecerunt *proſum*, ſicut furſum & ſuſum. S.

Suet. in Aug. 85. *multa varii generis prorſa oratione compoſuit.* dicitur autem *prorſus* quaſi porro verſus, vt ait Feſt. & Donat. ad Terent. Andr. III. II. 30. *Sic rurſus, retrouerſus; ſurſum, ſupra verſum.* P.

ORTVS.

Vir claris natalibus; homo loco obſcuro, i. ortus, ſ. natus ex vel de. Liu. I. *Turnus Herdonius ab Aricia. Omnes latini ab Alba oriundi;* Sic in Sacr. *Ioſeph ab Arimathea;* Virg. *paſtor memorande ab Amphriſo.* S.

OSTIVM.

Poſtico falle clientem, i. Oſtio, Hor. I. Ep. V. 31. *poſticus* enim adiectiuum eſt a poſt, ſicut,

ab

ab ante, anticus, vnde *antiquus* pro quo barbari, *anterior*; Perſius: *poſticæ occurrite Sannæ*; Plin. *Poſtica pars mundi*; *poſticus vicinus*, & *poſticum oſtium* apud Feſtum. Plaut, Stich. III. 1. *vid. pars*. S.

Voce anterior; inquit Perizonius, pro *antiquus* etiam Cæſar vtitur de Bell. Ciu. L. III. C. 36. & Sulpic. Seuerus, Salluſtii imitator, Hiſt. S. I. 52. Priſcianus etiam L. III. Cap. de Superlat: Ab eo autem, quod eſt ante, anterior, Superlatiuum in vſu non inueni.

Ovvm.

Gallinæ *vel aues incubant*, ſubaudi, *ouis*, *ſ. oua*. Plin. L. VIII. c. 25. *Oua incubat, id. quarto die poſt, quam cæpere incubari*. S.

Colum. VIII. 8. *quæ ouis vel pullis incubant*. G.

Ovis.

Virg. Aen. VI. 39. *Mactare lectas de more bidentes*; id. Aen. VII. 93. G.

Lanigeras *mactabat more bidentes*, ſubaudi, *oues*. *Id. inſueta graues tentabunt pabula fœtas, nec mala vicini pecoris contagia*

tagia lædent. Sic enim hæc carmina diſpungo. S.

PARS.

Plaut. Vt decimas ſolueret Herculi; Cic. III. de N. D. 36. *Nec Herculi quiſquam decumam vouit vnquam*. S.

Sic antica & poſtica, Suet. in Othon. *poſtica parte*; Cato in verſiculis: *fronte capillata, poſtica occaſio calua*, ſic enim legendum eſt; ſubaudiendo, *parte poſtica*; Arnob. L. V. *ex parte poſtica*.

Cum dicitur ſummam regni adipiſci, ſubaudimus partem. Vitruu. L. IV. c. 1. *ſummam imperii partem Ioui dederunt*. Sc.

it. Cic. pro Roſc. c. XXXII. *ſummam rerum adminiſtrare*; ibid. c. LI. *ſumma reipubl. in huius periculo tentatur*; Tacit. Ann. XIII. XXXVIII. 1. *Nihil in ſumma pacis proficiebatur*; Nep. I. III. 2. *ſummas imperii tenere*, ſcil. *partes*. G.

Quadrageſima, quinquageſima, ſeptuageſima, ſubaudi, *pars*. Suet. in Veſp. *publicanum quadrageſimæ in Aſia egit*; *id.* in Calig. c. XL. *pro litibus atque iudiciis vbicunque conceptis, quadrageſima ſummæ, de qua litigaretur, exigebatur*;

Plin. L. XIV. c. 20. *Cocti parte quadrageſima.* S.

Adnitar pro virili, ſubaudi, *parte;* Cic. Phil. XIII. *plus quam pro virili parte obligatum puto;* Tacit. in Vita Agric. *pro virili portione.*

Liu. Hiſt. præfat. n. 3. *pro virili parte me ipſum conſuluiſſe rerum geſtarum memoriæ iuuat;* Ouid. L. II. ex ponto Ep. I. 17. *Gaudia Cæſareæ mentis pro parte virili.* G.

Sic dicimus, pro rata, ſcil. parte vel portione, Vitruvi. L. IV. c. I. *Capitulorum altitudines efficiunt eos pro rata altiores* S.

Cic. clar. orat. c. 21. *Etſi vtrique primas, priores tamen deferunt Lælio;* id. *Cui primæ ſine controuerſia deferebantur;* Colum. L. X *Muſtum quam dulciſſimi ſaporis decoquitur ad tertias;* Ter. Adelph. V. IV. 26. *non poſteriores feram*, ſupple, *partes;* id. *primas partes qui aget, is erit Phormio;* Cic. III. ad Q. Frat. *Tibi iſtius generis in ſcribendo priores partes tribuo, quam mihi;* Horat. *ne forte ſeniles mandentur iuueni partes, pueroque ſeniles.*

In qua, hac, ea, illac, ſubauditur, *parte mundi*, Liu. L. XXXVII. *Inſulamque regnum*

gnum Hieronis fuerat, tueri iuſſit; Virg. *Iupiter hac ſtat, pro, ab hac parte;* Propert. III. Eleg. xx. ſ. ſ. *Omnia ſunt tentata mihi, quacunque fugari poſſet, at ex omni me premit ipſe Deus.* Horat. *Qua nebulæ pluuiique rores qualibet exſules in parte regnanto, i. e. in quouis loco, vbicunque vis;* Propert. *Et diſco, qua parte fluat vincendus Araxes;* Salluſt. *Creta altior eſt, qua parte ſpectat orientem.* Sc.

Passvs.

Cæſ. de Brit. *Huius eſt longitudo lateris, vt fert illorum opinio, ſeptingentorum millium, ſupple, paſſuum;* Horat. *Millia tunc pranſi tria repſimus;* Cæſ. I. Ciu. *pons qui erat ab oppido millia paſſuum circiter tria;* Lucil. III. *Stat longe tria millia paſſuum.*

Patrvelis.

Cic. Attic. I. Ep. 4. init. *Quarto fructu ſim priuatus, & forenſi & domeſtico, L. fratris noſtri morte, ſcil. patruelis.*

Nam. id. L. V. de Fin. c. I. L. Cicero *frater noſter cognatione patruelis;* id. pro Planc. c. XXVII. *Torquatus C. Plancii frater patruelis & ſocer.*

Videtur hæc notio verbi frater eſſe ex hebræorum ſermone, quibus conſanguinei etiam dicuntur fratres: id quod in Theſauro erud. ſchol. in voce frater obſeruatum.

PECCATVM.

Ignoſco tibi, ſubaudi, *peccatum*; Virgil. *Parua ſi tartara noſſent peccatum ignouiſſe*. S. Plaut. Amph. I. I. 3. *Velatis manibus orant, ignoſcamus peccatum ſuum*. G.

Hinc explicandus Quinct. VIII. V. p. 720. *princeps, qui vult omnia ſcire, neceſſe habet multa ignoſcere*. vid. Fabr. Theſaur.

PECVNIA.

Quinctil. L. IV. c. II. *inſimulari repetundarum*; Tacit. Hiſtor. III. c. XXXVIII. I. *poſtulare aliquem repetundis*; Valla L. I. cap. vlt. in hoc gerundio, ut ipſe vocat, neſcio quas ineptias texit: participium eſt, quod cum ſuo ſubſtantiuo Cicero protulit pro Cluentio c. LIII. extr. *clames, te lege pecuniarum repetundarum non teneri*; *id.* de Clar. Orat. c. XXVII. L. *Piſo Trib. pl. legem primus de pecuniis repetundis tulit*. S.

Sic in expenſis, & impenſis, ſubaudimus *pecuniis*.

De expenſa & impenſa adiectiui ſpecies adparet

paret ex diuerſitate generis. Cic. pro Roſc. c. III. *Expenſum referre alicui*; Plin. H. N. II. c. 7. *de fortuna*, *Huic omnia expenſa; huic omnia feruntur accepta*; Hor. II. Sat. III. 245. *Luſcinias ſoliti impenſo prandere coëmtas*, G.

Abſolute ponitur, corrumpere, beſtechen, & intelligitur *pecunia*, Nepot. VI. III. 3. *Delphos corrumpere eſt conatus*; ibid. *exiſtimans, ſe Afros facilius corrupturum*; it. § 3. *Non ſolum corrumpi non potuerunt*, cet. &: *quod Sacerdotes fani corrumpere conatus eſſet.*

Phædr. IV. XII. 8. addit, lucro; Nep. XVI. IV. 1. *Epaminondam pecunia corrumpendum ſuſceperat*, ibid. §. 3. *Ne alios corrumpat.*

Placenta.

Plaut. Perſ. I. III. 17. *Quaſi iuream eſſe ius decet Collyricum. Sic enim eſt legendum.* Cato c. 28. Ruſt. *Sphæritam ſic facito*, ſupple, *placentam*. S.

Porcelli.

Porcelli quum lactari deſierunt, nefrendes dicuntur, eo, quod fabam nondum frendere, i. e. frangere poſſunt, Varro de re Ruſt. II. 4. S.

Similiter & puer in nefrens ſubauditur, vt apud Feſtum ex Liu. Andron. *Quem ego nefrendem alui, lacteam immulgens opem.* Sc.

Porta.

Iuuen. III. II. *Subſtitit ad veteres arcus madidamque Capenam, i. portam. Sic Collina, viminalis, cet.*

Potestas.

In Summa reſpicitur, vbi de rep. Sermo eſt, e. gr. Vellei. II. 68. *Dum in acie pharſalica Africaque de ſumma rerum dimicat;* Tacit. Ann. II. IV. 6. *Satis probatum, penes vtros ſumma belli fuerit:* Nep. XVI. v. 3. *Cuius belli quum ei ſumma eſſet data;* id. XIIII. III. 5. *illi ſumma imperii tradita;* *nam dicunt* Cic. pro Quinct. c. II. *aduerſarii cum imperio & poteſtate in rep.*

Omnino coniunctim legitur ita ap. Cic. pro dom. XLII. *præditus ſumma poteſtate;* id. ad Q. Fr. L. I. Ep. I. *habere ſummam poteſtatem in aliquo loco.*

Praeditvs.

Vir magna doctrina, ſed prauis moribus, ſupple, *præditus.* Donatus ſupplet, *natus.* Terent. *Ita argumento ſunt factæ;* Cic. I. verr. 6. *Homo ſingulari cupiditate, audacia, ſcelere præditus.* Falſum igitur eſt,

eſt, partes corporis & animi, poni in ablatiuo vel genitiuo; Terent. Hecyr. *ego ſum animo leni natus.* S.

Huc etiam retulerim ablatiuum futuri participii paſſiui abſolutum ſine nomine poſitum verbi ſoluere, e. g. Cic. III. Fam. Ep. 8. *Ciuitates non ſunt ſoluendo,* ſupple, *pretio praeditae.* G.

PRAEDIVM.

Venit in Tuſculanum, Pompeianum, Peruſinum, ſuburbanum, i. praedium vel agrum, vel rus. S.

PRAEMIVM.

Deeſt in corollarium, quaſi quod detur ad parandas ſiti corollas; Cic. in Verr. IV. 22. *ne ſine corollario de conuiuio diſcederet*; Seneca: *Opifici viliſſimae mercis & in diem ſe locanti, corollarium adſpergimus, & aliquid ſupra conſtitutum adjicimus.* Petronius: *Indicium,* dixit, *pro praemio ei dando, qui fugitiuum indicaſſet.* Sc.

PRETIVM.

Non minoris, nec pluris, ſed tanti, quanti tu, emi, ſupple, pretio: Integrum erat: *tanti aëris pretio emi.* vide: aes. Horat. I. Serm. *Vnius aſſis non vmquam pretio pluris licuiſſe*; Plaut. Epid. II. II. 110. *quanti emi poteſt minimo*; & paulo poſt: *ad quadraginta fortaſſe eam poſſe emi minimo minas.* S.

 Virg.

Virg. Aen. II. 104. *Hoc ithacus velit, & magno mercentur Atridae*: vbi Seru. *magno i. e. pretio*; Aſcon. in III Verr. *Aſiani magno pretio aeſtimant equos*; Lucil. XXVII. *Trado ego illis minimo, quod mihi conſtat carius*; Horat. L. II. Sat. III, 245. *Luſcinias ſoliti impenſo prandere coemtas*; Caeſ. IV. Gall. *iumenta, quae Galli impenſo parant pretio.* &c.

Liu. L. II. decad. I. *Hic modus magis placuit, quum pretio minori redimendi captiuos copia fieret*; Mart. L. VI. *paruo cum pretio diu liceret.* Valla L. III. c. I. docet; licere dicere, *emi magno & magno pretio*, non autem *magni pretii*, ſed *magni tantum*. Recte quidem ille, ſed cauſſam ignorauit huius locutionis, ea vero eſt haec, in verbis pretii, ſi ſit genitiuus, a nomine *pretio*, regitur, vt, *emi magni*, ſubaudi, *pretio*; Ouid. L. I. Amor. x. 32. *& pretium, quanti gaudeat ipſa, facit*, ſupple, *pretio*; Ter. Eun. *quid facias, niſi vt te redimas captum, quam queas minimo; ſi nequeas paulo, at quanti queas.* Quum vero dicis: *emi equum magni pretii*, alia res eſt: non enim ſignificatur emtio, ſed laus, e. g. Ter. *Agrum in his regionibus meliorem, neque*

que

que pretii maioris nemo habet: perinde eſt, ac ſi dicas: *eſt homo magni ingenii*; Perſius: *Lunai portum eſt operæ cognoſcere ciues*, ſupple, *pretium*, *vide operæ pretium*; Plaut. Caſ. V. II. 5. *dum mea facta itero*, *eſt operæ auribus percipere*; Val. Max. L. I. c. VI. *non eſt operæ inter patrem & filium*, cet. S.

Periz. ad h. l. ſæpiſſime etiam hæc Phraſis occurrit pro, *non vacat*: Plaut. Mil. II. II. 97. *operæ non eſt*; id. Truc. IV. IV. 30. *operæ vbi mihi erit*, *ad te venero*; Liu. XLI. 25. *non operæ eſt*, videtur in his intelligi, *negotium huius operæ*.

PRINCEPS.

Intellige in Sereniſſimus, antiquo imperatorum titulo: vid. Lexic. Fabr. T. II. fol. 600 non adeo culpanda vox eſt, quia de cœlo, vento, tempeſtate prædicatur: de homine enim haud raro occurrit, vt Cic. Tuſc. III. XV. frontem tranquillam & ſerenam; Apul. Metam. VIII. p. 204. §. 20, *illa vultu non quidem hilaro, verum paullo ſereniore*; Ouid. Triſt. I. I. 39. *Carmina proueniunt animo deducta ſereno*; it. L. I. El. I. 27. *dum iuuat & vultu ridet fortuna ſereno*; adde Fortunat. III. 2. *ſub rege ſereno*.

PROELIVM.

Nep. XVIII. VIII. 2. *Aduerſus quos fecerint*, i. prœlia.

Nam Cic. de Orat. II. 67. *prœlia præclara facere;* Liu. XXI. 12. *prœlia plura ſecunda facere.*

PROPOSITVM.

Cic. *quum in animo haberem nauigandi*, ſupple, *propoſitum, mentem, voluntatem:* Valla L. I. c. XXV. S.

Plaut. Trin. Ach. III. Sc. III. 16. *Si opperiri vis aduentum Charmidis, quod longum eſt, huic ducendi interea abſceſſerit:* ſubaudi, *voluntas, ſ. propoſitum.* SC.

PROVERBIVM.

Tritum ſæpiſſime abſolute dicitur, intelligitur prouerbium, quod Cicero expreſſit de Offic. III. c. 10. *Tritum ſermone prouerbium;* & c. XIX. *tritum vetuſtate prouerbium.*

PVER, ſ. Puella.

Infans, a non fando, adiectiuum eſt, i. e. *puer vel puella.* Falluntur, qui hoc nomen commune duobus generibus adpellant. Horat. I. Sat. VI. 57. *Infans namque pudor prohibebat plura profari;* Ouid. in Ibi. *Gutturaque imbuerunt infantia lacte camina;* Horat. II. Sat. V. *Seu rubra canicula*

la findet infantes ſtatuas; Cic. pro Sylla: *quum puerorum infantium veniebat in mentem;* id. II. Orat. 162. *Nutrices infantibus pueris in os inferant;* Val. Max. L. I c. 6. *puerum infantem ſemeſtrem in foro boario triumphum proclamaſſe;* Lucil. *vt pueri infantes credunt ſigna.* S.

it. Terent. Andr. I. I. 8. *Ego poſtquam te emi a paruulo, ſupple, puero;* Plaut. Stich. *quia iam inde a puſillo puero ridiculus ſum;* id. Merc. *a puero paruulo.*

Subeſſe eadem puta τῷ famulus, famula, cuius poſterioris formam præſertim exhibet Ouid. Faſt. I. I. 286. *tradiderat famulas iam tibi Rhenus aquas,* conf. Lucan. IV. 107. G.

QVIDQVAM.

Deeſt Plaut. Caſ. IV. I. 13. *Sed nimium lepide diſſimulant, fore (quidquam) huius, quod futurum eſt.*

[b] RATIO.

Catull. *Hoc falſum eſſe putas? fugit te inepte,* ſubaudi, *ratio;* id. *iſtud, quod modo dixeram, me habere, fugit me ratio;* Plaut. Amph. *fugit te ratio, i. e. falſus fuiſti, erraſti.* Sc.

Horat. L. I. Ep. I. 106. *Ad ſummam ſapiens uno mi-*

minor eſt Ioue, Virg. *Hæc ſumma eſt*, *ſupple*, *ratio*; Varro L. V. lingu. lat. *Ideo ratio putari dicitur*, *in qua ſumma ſit pura*; Cic. II. Philipp. *quod quidem erat magnum de ſumma re diſſentientes*. S. *Sic in expenſa & impenſa*.

it. Liu. XXIII. c. 12. *ſumma fuit orationis*; Iuuen. Sat. VII. 129. *Sic Pedo conturbat*, *Matho deficit*; Mart. IX. Epigr. 4. *conturbauit Atlas*, *ſubaudi*, *rationes*; Cic. ad Quinct. fratr. II. Ep. II. *ad quem ego reſcripſi, nihil eſſe, quod poſt hac arcæ noſtræ fiducia conturbaret*. Conturbare eſt ſeruorum, aut trapezitarum, cum rationibus crediti paria non facere ſe ſperant.

Perizon. Supplet locutionem Terentius V. II. 30 *ita mihi conturbaſti rationes omnes*.

Non raro ſupplendum in relatiuo Qua, Ouid. Tr. III. XIV. 8. *quaque potes*, *retine corpus in vrbe meum*; Salluſt. L. I. Hiſt. Orat. Phil. perge, *qua cæpiſti*, *ſcil. ratione*; Ouid. Heroid. XIII. 41. *qua poſſum ſqualore tuos imitata labores dicar*. Senſum ſaltim huius ſupplementi confirmat. Nep. X. v. 1. *Omni ratione bellum comparare cæperunt*; Lucret. VI. 760. *in Aliqua* Terent. Phorm. IV. I. 19. *Vereor*, *ne vxor aliqua*

hæc

hæc reſciſcat mea; Virg. Ecl. III. 13. *Etſi non aliqua nocuiſſes, mortuus eſſes*; Ouid. Pont III. IV. 28. *Iuuiſſent aliqua forſitan illud opus.* G.

In genitiuis, quos peculiari cuidam regulæ vulgo adſcribunt, e. g. Horat. I. od. XXII. 1. *Integer vitæ ſceleriſque purus*: quaſi *integer ratione vitæ*, cet. *Et ſic fere in reliquis omnibus.*

In genitiuis verborum, quæ ſolicitudinem, dubium indicant, quibus itidem noua regula opus non eſt, e. g Cic. VIII. Fam. Ep. 5. *Ego vehementer (ratione) animi pendeo.* Philoſophorum denique maxima, maximæ adiectiones ſunt vocis ratio, rationes, Haupt-Gründe.

(a) Rastrum.

Iuuen. *viue bidentis amans*, ſupple, *raſtri, vel ferri*: *nam bidens, tridens, quadridens*, adiectiua ſunt; Virg. II. Ge. 355. *duros iactare bidentes*; id. in Cir: *ferroque manus armata bidenti*; id. *Leuat ipſe tridenti*; id. *non illi imperium pelagi, ſæuumque tridentem, ſed mihi ſorte datum.* S.

Contra Cato Cap. X. Ruſt. *rutra quinque, raſtros quadridentes duos*; Virg. Aeneid: *raſtriſque tridentibus*: *ſic enim legi debet.*

Aulul. autem dicit: *nec ludos te facio, nec ſi cupiam, copia eſt;* & Capt. *nec me ſalus ſi vult ſeruare poteſt, nec copia eſt.* Sc.

Solebant antiqui peregre aduenientes ſic rogare: *ſatin' ſalua?* ſubaudito, res. Ter. Eun. V. Sc. VI. 8. *Satine ſalua?* Liu. L. I. 58 *quærentique viro, ſatin ſalua? minime, inquit, Lucretia;* id. L. X. *Satin' ſalua, inquit, L. Volumni?* S.

Terent. Andr. V, VI. 11. *Me in tuis ſecundis reſpice, ſubaudi, rebus.* Sc.

RESPECTVS.

Etiam hoc ex illis eſt, cui adſcribi poteſt 1. genitiuus adiectiuorum formam & rationem rei ſignificantium, e. g. Sen. Ep. XCVIII. *Animus (reſpectu) futuri anxius;* Nep. in Con. I. II. *prudens reſpectu rei militaris;* Curt. IX. V. 19. *namque periculi omnes immemores.*

2. Genitiuus imperſonalium, quem & noſtra Vernacula non abſolute modo, ſed etiam interpoſita particula, wegen, exprimimus, e. g. Nep. in Cim. III. 2. *cuius facti celerius Athenienses, quam ipſum pœnituit;* Curt. IV. XIII. 9. *Malo me fortunæ pœniteat, quam (reſpectu) victoriæ pudeat.*

RVS.

Subauditur in paſcuum; Lucret. V. *pande-*

re agros pingues, & paſcua reddere rura. Sc.

Colum. *Anſer eſuriens mittatur in paſcuum;* Liu. XXIV. 3. *Lucus lacta in medio paſcua habuit.*

Similiter in arua ſubauditur rura; Plaut. *non aruus ſed paſcuus eſt hic ager.*

Sacerdos.

Diales, Martiales, Quirinales, Salii & in reliquis huiusmodi, quis non intelligit *Sacerdotes?* S.

Sacrificivm.

Nomen hoc, aut officium, aut hoſtiam, ſubintelligi poſtulant. *facere, offerre, fieri, ſacrificare, procurare.* Varro de R. R. I. 1. *Et quoniam, vt aiunt, dii facientes adiuuant;* Virg. Ecl. III. 27. *quum faciam vitula pro frugibus, ipſe venito;* Colum. III. 21. *Sed ne ſementem quidem adminiſtrare, niſi prius Catulo feceris.* adde ternis locis, *ſacrificium ſ. ſacrum:* it. Cic. I. Attic. Ep. 2. *quum pro populo fieret, i. ſacrificium.*

inſtar Cic. de Clar. Orat. c. XIV. *ſacrificium facere;* Tertull. de ieiunijs c. XV. *duas in anno hebdomades Xerophagiarum, nec*

totas, exceptis ſcilicet ſabbathis & Dominicis offerimus Deo; Nep. XXIII. II. 4. *ad aram adduxit, apud quam ſacrificare inſtituerat.* Vtrique adde: *aut ſacrificium, aut quod præcedit, hoſtiam*; Nep. II. II. 8. *Sacerdotibus ſacra procuranda tradunt.*

SACRA.

Lupercalia, Bacchanalia, Terminalia, Suouetaurilia, ſubaudi, *ſacrificia, vel ſacra.* vide, *feſta. Sed in Bacchanales, Saturnales,* intellige, *ludos vel dies.* vide: *Ludi. S.*

Aſcon. in diuin. *Cenſores Suouetaurilia ſacrificia faciebant.*

Facere vitula, boue, agno, ſubaudi, *ſacra.* Plaut. Stich. II. I. 96. *quot agnis fecerat?* Virg. Ecl. III. 77. *quum faciam vitula pro frugibus.* Sed & accuſatiuum efferebant, hebræorum more. Plaut. Aul. *Faciam fidei mulſi fideliam*; Liu. X. 42. *pocillum mulſi, vouit, ſe Ioui facturum.* Sc.

SALARIVM.

Iuuen. Sat. VI. *Sunt qui tortoribus annua præſtent,* ſubaudi, *ſalaria.* Suet. in Tiber. *Sed & peculio conceſſo a patre, prabitisque*

ue annuis, fraudauit per ſpeciem publici uris; id. de claris Gram. mat. de Palamone: *uamquam ex ſchola quadringenta annua caperet*. S.

SANGVIS.

d. II. ex Ponto Ep. 1. 65. *Imbuero Scythicas non prius ipſe ſagittas*, adde: *ſanguine*.

SCRIPTOR.

rarius adiectiuum eſt, vt: *librarium gummi*, apud Plin. & *cella libraria*. Cicero amen id ſemper abſolute dicit, vt: *mihi ibrarius mittat*, ſubaudi: *ſcriptor*. Perizonius addit: Seruus. Suet. in Claud. c. xxxv. *Ne cuius comiti aut librario calamariæ, aut graphiariæ thecæ adimerentur*. Serui hi erant, vel liberti. Librarius etiam pro mercatore librario apud Gell. V. 4. *Librarius in quoduis pignus vocabat: qui paullo ante iſtic venditor librorum fuerat lictus*. Cic. Orat. II. in Rullum 32. librarios etiam diſtinguit a ſcribis, dum ait, ornata apparitoribus, ſcribis, librariis, præconibus, architectis: vbi ſcribæ ſunt, qui decreta & acta conſcribebant; librarii, qui ea aliosque libros curabant ſeruabantque. S.

Virg. Aen. II. 104. *Hoc ithacus velit, & magno mercentur Atridæ*: vbi Seru. *magno i. e. pretio*; Aſcon. in III Verr. *Aſiani magno pretio æſtimant equos*; Lucil. XXVII. *Trado ego illis minimo, quod mihi conſtat carius*; Horat. L. II. Sat. III. 245. *Luſcinias ſoliti impenſo prandere coemtas*; Cæſ. IV. Gall. *iumenta, quæ Galli impenſo parant pretio.* Sc.

Liu. L. II. decad. I. *Hic modus magis placuit, quum pretio minori redimendi captiuos copia fieret*; Mart. L. VI. *paruo cum pretio diu liceret.* Valla L. III. c. I. docet; licere dicere, *emi magno & magno pretio*, non autem *magni pretii*, ſed *magni tantum*. Recte quidem ille, ſed cauſſam ignorauit huius locutionis, ea vero eſt hæc, in verbis pretii, ſi ſit genitiuus, a nomine *pretio*, regitur, vt, *emi magni*, ſubaudi, *pretio*; Ouid. L. I. Amor. X. 32. *& pretium, quanti gaudeat ipſa, facit*, ſupple, *pretio*; Ter. Eun. *quid facias, niſi vt te redimas captum, quam queas minimo; ſi nequeas paulo, at quanti queas.* Quum vero dicis: *emi equum magni pretii*, alia res eſt: non enim ſignificatur emtio, ſed laus, e. g. Ter. *Agrum in his regionibus meliorem, neque*

que

que pretii maioris nemo habet: perinde eſt, ac ſi dicas: *eſt homo magni ingenii*; Perſius: *Lunai portum eſt operæ cognoſcere ciues*, ſupple, *pretium*, *vide operæ pretium*; Plaut. Caſ. V. II. 5. *dum mea facta itero*, *eſt operæ auribus percipere*; Val. Max. L. I. c. VI. *non eſt operæ inter patrem & filium*, cet. S.

Periz. ad h. l. ſæpiſſime etiam hæc Phraſis occurrit pro, *non vacat*: Plaut. Mil. II. II. 97. *operæ non eſt*; id. Truc. IV. IV. 30. *operæ vbi mihi erit*, *ad te venero*; Liu. XLI. 25. *non operæ eſt*. videtur in his intelligi, *negotium huius operæ*.

Princeps.

Intellige in Sereniſſimus, antiquo imperatorum titulo: vid. Lexic. Fabr. T. II. fol. 600 non adeo culpanda vox eſt, quia de cœlo, vento, tempeſtate prædicatur: de homine enim haud raro occurrit, vt Cic. Tuſc. III. XV. frontem tranquillam & ſerenam; Apul. Metam. VIII. p. 204. §. 20. *illa vultu non quidem hilaro*, *verum paullo ſereniore*; Ouid. Triſt. I. I. 39. *Carmina proueniunt animo deducta ſereno*; it. L. I. El. I. 27. *dum iuuat & vultu ridet fortuna ſereno*; adde Fortunat. III. 2. *ſub rege ſereno*.

PROELIVM.

Nep. XVIII. VIII. 2. *Aduerſus quos fecerint*, i. prœlia.

Nam Cic. de Orat. II. 67. *prœlia præclara facere;* Liu. XXI. 12. *prœlia plura ſecunda facere.*

PROPOSITVM.

Cic. *quum in animo haberem nauigandi*, ſupple, *propoſitum, mentem, voluntatem*; Valla L. I. c. XXV. S.

Plaut. Trin. Ach. III. Sc. III. 16. *Si opperiri vis aduentum Charmidis, quod longum eſt, huic ducendi interea abſceſſerit*: ſubaudi, *voluntas, ſ. propoſitum.* Sc.

PROVERBIVM.

Tritum ſæpiſſime abſolute dicitur, intelligitur prouerbium, quod Cicero expreſſit de Offic. III. c. 10. *Tritum ſermone prouerbium*; & c. XIX. *tritum vetuſtate prouerbium.*

PVER, ſ. Puella.

Infans, a non fando, adiectiuum eſt, i. e. *puer vel puella.* Falluntur, qui hoc nomen commune duobus generibus adpellant. Horat. I. Sat. VI. 57. *Infans namque pudor prohibebat plura profari*; Ouid. in Ibi. *Gutturaque imbuerunt infantia lacte camina;* Horat. II. Sat. V. *Seu rubra canicula*

la findet infantes ſtatuas; Cic. pro Sylla: *quum puerorum infantium veniebat in mentem*; id. II. Orat. 162. *Nutrices infantibus pueris in os inferant*; Val. Max. L. I c. 6. *puerum infantem ſemeſtrem in foro boario triumphum proclamaſſe*; Lucil. *vt pueri infantes credunt ſigna*. S.

it. Terent. Andr. I. I. 8. *Ego poſtquam te emi a paruulo*, ſupple, *puero*; Plaut. Stich. *quia iam inde a puſillo puero ridiculus ſum*; id. Merc. *a puero paruulo*.

Subeſſe eadem puta τῷ famulus, famula, cuius poſterioris formam præſertim exhibet Ouid. Faſt. I. I. 286. *tradiderat famulas iam tibi Rhenus aquas*, conf. Lucan. IV. 107. G.

QVIDQVAM.

Deeſt Plaut. Caſ. IV. I. 13. *Sed nimium lepide diſſimulant, fore* (*quidquam*) *huius, quod futurum eſt*.

[b] RATIO.

Catull. *Hoc falſum eſſe putas? fugit te inepte*, ſubaudi, *ratio*; id. *iſtud, quod modo dixeram, me habere, fugit me ratio*; Plaut. Amph. *fugit te ratio, i. e. falſus fuiſti, erraſti*. Sc.

Horat. L. I. Ep. I. 106. *Ad ſummam ſapiens vno mi-*

minor eſt Ioue, Virg. *Hæc ſumma eſt*, ſupple, *ratio*; Varro L. V. lingu. lat. *Ideo ratio putari dicitur*, *in qua ſumma ſit pura*; Cic. II. Philipp. *quod quidem erat magnum de ſumma re diſſentientes*. S.

Sic in expenſa & impenſa.

it. Liu. XXIII. c. 12. *ſumma fuit orationis*; Iuuen. Sat. VII. 129. *Sic Pedo conturbat, Matho deficit*; Mart. IX. Epigr. 4. *conturbauit Atlas*, *ſubaudi*, *rationes*; Cic. ad Quinct. fratr. II. Ep. II. *ad quem ego reſcripſi, nihil eſſe, quod poſt hac arcæ noſtræ fiducia conturbaret*. Conturbare eſt ſeruorum, aut trapezitarum, cum rationibus crediti paria non facere ſe ſperant.

Perizon. Supplet locutionem Terentius V. II. 30 *ita mihi conturbaſti rationes omnes*.

Non raro ſupplendum in relatiuo Qua, Ouid. Tr. III. XIV. 8. *quaque potes*, *retine corpus in vrbe meum*; Salluſt. L. I. Hiſt. Orat. Phil. perge, *qua cœpiſti*, *ſcil. ratione*; Ouid. Heroid. XIII. 41. *qua poſſum ſqualore tuos imitata labores dicar*. Senſum ſaltim huius ſupplementi confirmat. Nep. X. v. 1. *Omni ratione bellum comparare cœperunt*; Lucret. VI. 760. *in Aliqua* Terent. Phorm. IV. I. 19. *Vereor*, *ne vxor aliqua*

hac

hæc reſciſcat mea ; Virg. Ecl. III. 13. *Etſi non aliqua nocuiſſes, mortuus eſſes*; Ouid. Pont III. iv. 28. *Iuuiſſent aliqua forſitan illud opus*. G.

In genitiuis, quos peculiari cuidam regulæ vulgo adſcribunt, e. g. Horat. I. od. xxii. 1. *Integer vitæ ſceleriſque purus* : quaſi *integer ratione vitæ*, cet. *Et ſic fere in reliquis omnibus*.

In genitiuis verborum, quæ ſolicitudinem, dubium indicant, quibus itidem noua regula opus non eſt, e. g Cic. VIII. Fam. Ep. 5. *Ego vehementer (ratione) animi pendeo*. Philoſophorum denique maxima, maximæ adiectiones ſunt vocis ratio, rationes, Haupt-Gründe.

(a) Rastrum.

Iuuen. *viue bidentis amans*, ſupple, *raſtri, vel ferri*: *nam bidens, tridens, quadridens*, adiectiua ſunt; Virg. II. Ge. 355. *duros iactare bidentes*; id. in Cir: *ferroque manus armata bidenti*; id. *Leuat ipſe tridenti*; id. *non illi imperium pelagi, ſæuumque tridentem, ſed mihi ſorte datum*. S.

Contra Cato Cap. X. Ruſt. *rutra quinque, raſtros quadridentes duos*; Virg. Aeneid. *raſtriſque tridentibus*: *ſic enim legi debet*.

bet, non ſtridentibus: De Neptuno metaphorice dicitur *raſter tridens* pro *ſceptro*. Poteris autem, ſi libet, quum de Neptuno dicitur, *ſceptrus*, *vel ſceptrum* ſupplere.

Regio.

Cic. VI. Attic. 8. *E naui recta ad me venit*, ſubaudi, regione, vel via. Sc.

Liu. XXI. *quum Alpes peteret, non recta regione iter inſtituit, ſed ad lauam flexit*; Terent. Phorm. *Eo recta via quidem illuc*. vide via.

Res.

Cic. I. Attic. Ep. 2. *Miſimus, qui pro vectura ſolueret*, ſubaudi, rem, vel argentum, *pecuniam*, *vel præmium*; Plaut. Curc. *pugnis rem ſoluunt, ſi quis poſcat durius*; id. Aulul. *vbi res ſoluta eſt omnibus*. Sc.

Cic. II. Philipp. 18. *Tenes ne memoria prætextatam te decoxiſſe*, ſupple, *rem familiarem*. Periz. veluti, inquit, Florus præfat. *quibus annis inertia Cæſarum quaſi conſenuit atque decoxit ſcil. populus Rom. vires ſuas*. S.

In illis poſtquam, antequam, mihi videtur deeſſe, rem ſ. horam, vt in poſt quod, deeſt ne-

negotium, niſi malis deeſſe, finem, vt in haſtenus. vide, finis. S.

Paupertas eſt laudanda; auaritia eſt vituperanda, ſupple res: nam adiectiuum non reſpicit ſubſtantiuum, ſi verbum in medio ſit, *v.g. Mors eſt bona & mors eſt bonum*. illic deeſt res, hic negotium, idem enim ſunt, vid. negotium.

Bene eſt; bene habet; bene procedit; male eueniat; bene vertat; bene conueniebat inter eos, ſubaudi res. Terent. Adelph. *quæ res tibi vertat male.*

Salluſt. Iug. *Sed ea res longe aliter, ac ratus erat, euenit.* vide, negotium. Sc.

Virg. *non opis eſt noſtræ*, ſupple res; Cæſ. Ciuil. L. I. *docent, rem non eſſe*; ibid. *nec ſui iudicii, neque ſuarum eſſe virium diſcernere*, ſupple, res, negotium. S.

Apud Plautum legimus: *non mihi eſt operæ*, ſubaudi, res. Eſt autem res operæ non aliud, quam opera; ſicuti res voluptatum, Plauto eſt, Voluptates. Itaque idem Merc. I. I. 14. dicit: *Non eſt mihi opera, i. e. non habeo operam, quam dare tibi poſſim;* ſimiliter idem in Merc. V. IV. 30. *Aliter vt facias, non eſt copiæ*, ſubaudi, res; In Au-

Aulul. autem dicit: *nec ludos te facio, nec ſi cupiam, copia eſt;* & Capt. *nec me ſalus ſi vult ſeruare poteſt, nec copia eſt.* Sc.

Solebant antiqui peregre aduenientes ſic rogare: *ſatin' ſalua?* ſubaudito, res. Ter. Eun. V. Sc. VI. 8. *Satine ſaluæ?* Liu. L. I. 58 *quærentique viro, ſatin ſaluæ? minime, inquit, Lucretia;* id. L. X. *Satin' ſaluæ, inquit, L. Volumni?* S.

Terent. Andr. V, VI. 11. *Me in tuis ſecundis reſpice, ſubaudi, rebus.* Sc.

RESPECTVS.

Etiam hoc ex illis eſt, cui adſcribi poteſt 1. genitiuus adiectiuorum formam & rationem rei ſignificantium, e. g. Sen. Ep. XCVIII. *Animus (reſpectu) futuri anxius;* Nep. in Con. I. II. *prudens reſpectu rei militaris;* Curt. IX. V. 19. *namque periculi omnes immemores.*

2. Genitiuus imperſonalium, quem & noſtra Vernacula non abſolute modo, ſed etiam interpoſita particula, wegen, exprimimus, e. g. Nep. in Cim. III. 2. *cuius facti celerius Athenienſes, quam ipſum pœnituit;* Curt. IV. XIII. 9. *Malo me fortunæ pœniteat, quam (reſpectu) victoriæ pudeat.*

RVS.

Subauditur in paſcuum; Lucret. V. *pandere*

re agros pingues, & paſcua reddere rura. Sc.

Colum. *Anſer eſuriens mittatur in paſcuum;* Liu. XXIV. 3. *Lucus lacta in medio paſcua habuit.*

Similiter in arua ſubauditur rura; Plaut. *non aruus ſed paſcuus eſt hic ager.*

SACERDOS.

Diales, Martiales, Quirinales, Salii & in reliquis huiusmodi, quis non intelligit *Sacerdotes?* S.

SACRIFICIVM.

Nomen hoc, aut officium, aut hoſtiam, ſubintelligi poſtulant. *facere, offerre, fieri, ſacrificare, procurare.* Varro de R. R. I. 1. *Et quoniam, vt aiunt, dii facientes adiuuant;* Virg. Ecl. III. 27. *quum faciam vitula pro frugibus, ipſe venito;* Colum. III. 21. *Sed ne ſementem quidem adminiſtrare, niſi prius Catulo feceris.* adde ternis locis, *ſacrificium ſ. ſacrum*: it. Cic. I. Attic. Ep. 2. *quum pro populo fieret, i. ſacrificium.*

Ad inſtar Cic. de Clar. Orat. c. XIV. *ſacrificium facere;* Tertull. de ieiuniis c. XV. *duas in anno hebdomades Xerophagiarum, nec*

totas, exceptis ſcilicet ſabbathis & Dominicis offerimus Deo; Nep. XXIII. II. 4. *ad aram adduxit, apud quam ſacrificare inſtituerat.* Vtrique adde: *aut ſacrificium, aut quod præcedit, hoſtiam*; Nep. II. II. 8. *Sacerdotibus ſacra procuranda tradunt.*

SACRA.

Lupercalia, Bacchanalia, Terminalia, Suouetaurilia, ſubaudi, *ſacrificia, vel ſacra.* vide, *feſta. Sed in Bacchanales, Saturnales,* intellige, *ludos vel dies.* vide: *Ludi.* S. Aſcon. in diuin. *Censores Suouetaurilia ſacrificia faciebant.*

Facere vitula, boue, agno, ſubaudi, *ſacra.* Plaut. Stich. II. I. 96. *quot agnis fecerat?* Virg. Ecl. III. 77. *quum faciam vitula pro frugibus.* Sed & accuſatiuum efferebant, hebræorum more. Plaut. Aul. *Faciam fidei mulſi fideliam*; Liu. X. 42. *pocillum mulſi, vouit, ſe Ioui facturum.* Sc.

SALARIVM.

Iuuen. Sat. VI. *Sunt qui tortoribus annua præſtent,* ſubaudi, *ſalaria.* Suet. in Tiber. *Sed & peculio conceſſo a patre, præbitisque*

que annuis, fraudauit per ſpeciem publici iuris; id. de claris Gram.mat.de Palamone: *quamquam ex ſchola quadringenta annua caperet.* S.

SANGVIS.

Ouid. II. ex Ponto Ep. 1. 65. *Imbuero Scythicas ſi non prius ipſe ſagittas*, adde: *ſanguine.*

SCRIPTOR.

Librarius adiectiuum eſt, vt: *librarium gummi*, apud Plin. & *cella libraria.* Cicero tamen id ſemper abſolute dicit, vt: *mihi librarius mittat*, ſubaudi: *ſcriptor.* Perizonius addit: Seruus. Suet. in Claud. c. XXXV. *Ne cuius comiti aut librario calamariæ, aut graphiariæ thecæ adimerentur.* Serui hi erant, vel liberti. Librarius etiam pro mercatore librario apud Gell. V. 4. *Librarius in quoduis pignus vocabat: qui paullo ante iſtic venditor librorum fuerat dictus.* Cic. Orat. II. in Rullum 32. librarios etiam diſtinguit a ſcribis, dum ait, ornata apparitoribus, ſcribis, librariis, præconibus, architectis: vbi ſcribæ ſunt, qui decreta & acta conſcribebant; librarii, qui ea aliosque libros curabant ſeruabantque. S.

Horat. in Arte P. v. 354. *vt ſcriptor, ſi peccat idem librarius;* Varro Ruſt. III. 2. *Scriba librarius libertus eius, qui apparuit Varroni.* vulgo *Amanuenſis.* S.

Suet. in Ner. c. XLIV. *Excuiusque familia probatiſſimos, ne amanuenſibus quidem exceptis, recepit;* in Tito c. III. *Comperi cum amanuenſibus ſuis per ludum iocumque certantem.* Sic etiam vocis *hiſtoricus* adiectiuam indolem quiuis cognoſcit, e. g. Cic. de Clar. Orat. c. XXXVIII. *Demochares hiſtoriam non tam hiſtorico, quam oratorio genere perſcripſit.* G.

Scriptum.

Cic. Attic. L. VIII. *In ea Pompeii epiſtola erat in extremo*, ſupple, *ſcriptum*; id. *quae quidem erant manu tua*, *i. ſcripta* Nep. in Pauſan. IV. 2. *Erant in eadem epiſtola*, *ſcil. ſcripta.* S.

Secturae.

Subauditur in ferrariae, aerariae, argentariae, aurariae, cet. Caeſ. III. Gall. *Multis locis apud eos aerariae ſecturae ſunt;* & VII Gall. *apud eos magnae ſunt ferrariae;* Liu. *vectigalia magna inſtituit ex ferrariis, argentariisque;* Tacit. Ann. VI. 19. *Auraria,*

rarias ſibimet Tiberius ſepoſuit. Sc.

SECVRIS.

Virgil. *Crebrisque bipennibus inſtant*; Ouid. *Sæuamque inhibere bipennem*, ſupple, *ſecurim.* vide Feſtum in *anceps* & Nonium Marcell. *in bipennis*, qui citat ex varrone: *ferens ferream humero bipennem ſecurim*; Virg. dixit: *ferro bipenni.* S.

SEGES.

Segetes ſubaudi *in nouales.* Virg. I. Ge. 71. *alternis tonſas ceſſare nouales.*

Diuerſis generibus Periz. addit modo terra, modo ager, modo rus: Sc.

Feſtus: *noualis ager, nouæ relictus ſementi*; Virg. Ecl. I. 70. *Impius hæc tam culta noualia miles habebit*, ſcil. *rura.*

SELLA.

Lucan. L. III. *prætor adeſt*, *vacuæque loco ceſſere curules*, ſubaudi, *ſellæ.* S.

Liu. L. II. *Sella curuli ſepties ac vicies ſedit*; Iuuen. X. *Atque illi ſellas donare curules.*

SE.

Accuſatiuus hic haud raro deficit infinitiuo: Curt. III. VII. 9. *Timere*, ſcil. ſe, *ne non virtute*

tute hoſtium, ſed laſſitudine ſua vincerentur; Salluſt. de B. Jug. cap. LXXVI. *Ceterum proditionem timebat, quam (se) vitare poſſe celeritate putabat;* Terent. Heaut. IV. I. 48. *quid renuntiauit olim feciſſe, i. se*; Cic. Fam. XII. Ep. 6. *Brutus autem Mutinæ vix iam ſuſtinebat, ſcil ſe*; Nep. XX. V. 3. *Hæc a Diis immortalibus ſemper precatum.*

Secvnda.

F*ortuna quoties aduerſæ* opponitur, intelligitur *ſecunda.* Curt. III. XII 20. *Itaque orientem eam fortunam (scil. ſecundam) moderate & prudenter tulit;* id III. II. 18. *Homines, qui se permiſere fortunæ, etiam naturam dediſcunt;* Iuſtin. V. I. 11. *quo se fortuna, eodem etiam fauor hominum inclinat.*

Plene Nep. IX. V. I. *Conon inconſideratior in ſecunda, quam in aduerſa fortuna;* id. XX. I. 2 *Contra Timoleon multo ſapientius tulit ſecundam, quam aduerſam fortunam.*

Sedes.

Non terra ſolum, ſed etiam hoc intelligi poteſt in patria. Ouid. Triſt. I. I. 34. *Sedibus in patriis det mihi poſſe mori;* Virg. Aen.

Aen. VII. 193. *Tali intus templo diuum patriaque latinus ſede ſedens cet.* Curt. III. VII. II. *Exſilium patria ſede mutauerat.*

Regia vulgo pro ſubſtantiuo habetur, quam recte, iudicet, qui legit Nep. X. V. 5. *Dion repreſſit regios ſpiritus*; & Plin. XXII 24. *morbus regius*; Curt. V. VII. 2. *Si ipſum in ſolio regiaque Xerxis reſpicere coacti eſſent.* ego equidem putarim ſubeſſe, *ſede.*

SENSVS.

Quod eſt in prouerbio: *Varietas delectat!* requirit quartum caſum vocis ſenſus. Sic Phædr. L. IV. prol. v. 10. *dictorum ſenſus vt delectet varietas.*

SENTENTIA.

Ellipſ. Nep. XXV. XXI. 6. *nam mihi ſtat*; Virg. II. 750. *ſtat, caſus renouare omnes*; id. Aen. XII. 678. *ſtat, quidquid acerbi eſt, morte pati.* Sc.

Suppl. Terent. Eunuch. II. I. 18. *ſtat ſententia.*

SERMO.

Catull. *Quum ſubito adfertur nuntius horribilis*, ſupple, *ſermo vel rumor.* Cæſ. *vt talem nuntium attuliſſe viderentur.*

Vnde Plautus in milite, *longinquus ſermo*, *pro nuntio*, *dixit*. Aliquando intelligitur, *homo*, vt diximus ante. *Sermones perferri*, *tritum eſt*. S.

Nuntius adiectiuum eſt *Nuntium* ſubaudi, *verbum vel dictum*; *nuntia*, ſupple, *fama* Virg. *Volitans pennata per urbem nuntia fama ruit*; Ouid Epiſt. Parid. *Vror*, *habes animi nuntia verba mei*: *prima fuit vultus nuntia fama tui*; Liu. V. *Vocis nocturnæ*, *quæ nuntia cladis audita eſt*. Sc.

SERVVS.

A pedibus; *a ſecretis*; *circum pedes*, ſubaudi, *homo vel ſeruus vel famulus*, *vel miniſter*. Sueton. L. I. *Philemonem a manu ſeruum*. S.

Cic. Verr. *Circum pedes autem homines formoſos*, *ſuos eſſe dicebat*. Sc.

SESTERTIVM.

Hor. L. II. Sat. III. 23. *Callidus huic ſigno ponebam millia centum*, ſupple *ſeſtertium* ſ. *ſeſtertiorum*. S.

Sic in illis: *debes decies*, *accepit centies*, i. ſeſtertium in ſingulari, vt conſtruatur per adpoſitionem, conf. Liu. XXIV. 11.

qui

qui ſupra trecenta millia vsque ad decies aeris cenſus fuiſſet. P.

SIGNVM.

Inciſum, quo in oratione diſtinguenda ante Liuium Cicero vtitur de Orat. c. LXII. adiectiuum eſt, cuius exempla non deſunt. Senec. c. XVII. *Notum eſt totum carmen inciſum in ſepulchro*; Liu. III. 58. *ſpes inciſa*; Tacit. Annal. XVI. 19. *inciſas venas*, cet.

SILENTIVM.

Omittitur in præterire, mit ſtillſchweigen übergehen. Nep. in Pauſan. IV. 2. *non eſt prætereunda grauitas Lacedæmoniorum*; id. in Lyſandro V. 1. *atque hoc loco non eſt prætereundum factum Pharnabazi.*

Addunt haud raro, ſilentio. Germani idem dicimus: etwas übergehen, &: etwas mit Stillſchweigen übergehen.

SINGVLI.

In dies, in naues, in milites, in viros, ſubaudi, *ſingulos*. Horat. *Mutatur in horas*; Iuuen. *Horreat, inque dies ſeptenis oderit horis*; Plin. XII. 19. *Cinamo pretia quondam fuere in libras denarium mille.* S.

Sic in Pandectis, *Quinis emti ſerui*, i. e. ſinguli

guli quinque: *ſic, quini ſoluiſſent pro ſinguli quinque.* Sc.

Vide Vallam. L. III. c. 68. & Briſſon. in parergis.

SINVS.

Puteolanus, Tarentinus, Iſſicus, ſupple, ſinus. Crediderim deeſſe ſinus, quum Adria effertur maſculine: nam vere ſinus eſt, & ciuitas in ipſo ſinu, Adria dicitur, ſed effertur feminine. Silius L. X. *Stat humectata Vomano Adria.* S.

SOCIETAS.

Virg. Aen. XI. 292. *Cœant in fœdera dextræ,* ſubaudi, *ſocietatem.* Cic. II. Attic. Ep. 24. *vtinam ſocietatem aut numquam coiſſes, aut numquam diremiſſes;* id. II. de Nat. 12. *pinna cum ſquilla quaſi ſocietatem coit;* id. pro Sext. 20. *ſocietas coitur;* idem Ruffo: *ad coeundum ſocietatem periculi.* S.

Perizonius ante ſocietatem deſiderat præpoſitionem (*in*) vti *coire in fœdus* apud Virg. Sic *conuenire aliquem,* omnino dicitur, pro, *ad aliquem.*

SOCIVS.

Ellipticum eſſe genitiuum cum verbo ſum con-

conſtructum, non vna vice notauimus, atque huic nonnumquam etiam ſocius adiungas, e.g. Nep. in Attic. vi. 1. *in rep. ita verſatus eſt, vt ſemper optimarum partium & eſſet & exiſtimaretur*, ſcil. *ſocius*.

Cic. pro Quinct. c. XXI. *erat illarum partium*; id. pro Flacc. 65. *eſſe primarum partium*.

Sol.

Oriens & occidens participia ſunt, in quibus abſolute prolatis intelligitur, Sol. Cæſ. I. Gallic. *ſpectant in ſeptentriones & orientem ſolem Belgæ*. S.

Ennius: *A ſole exoriente vltra Mæoti paludes*. Sc.

Plaut. Bacch. *ante ſolem exorientem*; id. Menech. *numquam ad ſolem occaſum viuerem*; Plin. L. XXI. c. 17. *ante ſolem occidentem*; Cic. in ſomn. *quis in reliquis orientis, aut obeuntis ſolis vltimis partibus*; & in XII. Tabul. *Sol occaſus ſuprema tempeſtas eſto*; Gell. L. XVII. c. 2. *ſole occaſo*. S.

Plaut.

Plaut. Moſt IV. I. 25. *Hoc die craſtini quum herus reſciuerit;* Gell. L. X. c. 24. & Macrob. L. I. c. 4. Saturn. *putant, die craſtini, die priſtini, die proximi, die noni, aduerbia eſſe: ego contendo, deeſſe, ſolis,* vide, dies.

Solitvm.

In comparatiuis rei comparatæ defectum ſupplet. Cic. L. I. de Offic. c. 30. *in Scipione ambitio maior, vita triſtior,* i. ſolito. Virgil. Aen. IV. 294. *Ocyus omnes ; id. Ocyus incubuere omnes.*

Vti Ouid. de A. A. II. 411. *Tum neque ſubiectus, ſolito nec blandior eſto ;* id. Metam. XIV. 388. *Ille fugit ſeſe ſolito velocius ipſe.* Perizonio ſupplementum placet ſolito ; Sanctio, dicto. vti Virg. *& dicto citius tumida æquora placat.*

Solvm.

Virg. *Fuſus erat terræ frumenti pauper aceruus;* ibid. *& terræ condit aratrum* Aeneid. IX. *Stant terræ defixæ haſtæ ;* Aen. XI. 87. *Sternitur & toto proiectus corpore terræ ;* id. Ge. II. 290. *Terræ defigitur arbos ; corpora multa virum terræ infodiunt ;* Ouid. II. Metam. *quum vellet terræ procumbere.* S.

Et

Et v. Metam. 122. *procubuit terræ mactati more iuuenci*. Sc.

Plin. L. XIV. c. 21. *infodiuntque terræ tota*; Apul. L. IX. *Ille terræ concidit*. Sc.

Iulius Rufianus: terræ, inquit, pro, in terra, poſitum eſt; ſed ego affero, deeſſe, ſolum: quia ſæpe legimus apud Cic. *ſola terra*, & ſæpius apud Lucretium.

Virgil. I. Georg. *terræ pingue ſolum fortes inuertant tauri*; Varr. I. Ruſt. 5. *quae ad ſolum pertinent terrae*. Sc.

Saluſt. Iugurth. *aliisque generibus arborum, quae humi arido atque arenoſo gignuntur*. Sic legit Priſcianus in calce L. VIII. & Aldus in Salluſt. & intelligunt, loco. Virg. I. Aen. 197. *corpora fundat humi*; Ouid. *proſternit humi iuuenem*, ſubaudi, *in ſolo*. S.

Silius L. I. *adfigunt proni ſqualentia corpora terrae*. vide, terra.

Subauditur quoque ſolum, in hoc Cæſaris IV. Gall. 24. *quum illi aut ex arido, aut paullum in aquam progreſſi audacter tela coniicerent*; ibid. *noſtri ſimul atque in arido conſtiterunt*; it. *naues in aridum ſubduxerat*; Virg. Ecl. I. 71. *Impius haec tam culta noualia miles habebit*, ſubaudi, *ſola*: quod etiam ſubauditur *in arua*. *Nam*

nam ager aruus, ſicut & paſcuus, a Plauto in Truc. dicitur, quo aruitur, i. e. aratur, ſicut duere, eſt dare. Sc.

Periz. Eſſe adiectiuum, etiam ex eo liquet, quod Nonius cap. III. n. 15. ex Naenio & Pacuuio etiam aruas, ſcil. terras in fem. protulit, plane vt in maſculino apud Plaut. in Trucul. I. II. 47. *non aruus hic, ſed paſcuus eſt ager*.

SONVS.

In ſuſurrus, ſubauditur, ſonus, quum ſit adiectiuum. Ouid. Metam. VII. 694. *Procrin adit, linguaque refert, audita ſuſurra*, pro: ſuſurrante. Sc.

SOROR.

Eſt germana mea, & tua patruelis, ſubaudi, *ſoror*. Cic. ſæpe: *ſorores patrueles*, *vid. frater*. S.

SPATIVM.

Virg. *in medio mihi Cæſar erit*, ſubaudi, *ſpatio vel loco*: Vt Seruius notat Aen. I. S.

Cæſ. I. Ciuil. *Atque in hoc fere medio ſpatio tumulus erat*. vide, *locus*.

STA-

STABVLVM.

Bubile, equile, ouile, ſuile, ſubauditur, *ſtabulum:* manifeſte enim ſunt adiectiua. Itaque Plautus bubilem dixit in Perſa II. V. 18. vbi ſupplendum eſt, *ſtationem, vel ſtabulationem*, *vel caulam*, quæ teſte Seruio, *eſt animalium receptaculum.* Sc.

STATVS.

Deeſt Nep. XX. I. 1. *ſuo aduentu in priſtinum reſtituerit.*

STIPENDIVM.

Meruit ſub Annibale, ſubaudi, *ſtipendium*, *vel aera.* vid. Vallam. L. IV. c. 110. Horat. *Hic meret aera liber Soſiis*; Ouid. I. Amor. *Iuſſit & in caſtris aera merere ſuis.* ibid. *non decet imbelles aera merere Deos*, Cic. pro Mur. 12. *meruiſſe vero ſtipendium in eo bello;* in Donatiuum Perizonius ſubaudit, aes. S.

STRIDOR.

Subauditur in *ſibilus.* Virg. *Venientis ſibilus auſtri.* Nam *ſibilus* adiectiuum eſt: Virgil. de ſerpentibus, *ſibila lambebant linguis vibrantibus ora.* Seru. in I. Aeneid. proprie in funibus ſtridor eſt; ſtri-

ſtridor eſt autem ſibilus. Lucret. V. *Zephyri ſibila*, ſubaudi, *flamina*. Sc.

Stvprvm.

Stuprum vel flagitium ſubauditur in *Inceſtum*. Cic. 4. Aruſp. Reſp. *Clodium ex inceſto ſtupro emiſſum*; & pro domo 40. *inceſto flagitio & ſtupro polluit Cerimonias*. Sc.

Svpplicivm.

Quando Iudices accuſatos duci iubebant; intelligebant: *ad ſupplicium*. Plin. L. X. Ep. 97. *perſeuerantes duci iuſſi*; Sen. c. I. de ira c. 16. *Piſo quum iratus duci iuſſiſſet eum*; ibid. *nam illum centurionem, qui damnatum reduxerat, duci iuſſit*.

Ex iræ, credo, vehementia hæc eſt Ellipſis, qua noſtrates dicunt: führt ihn hin! Plene Sueton. in Tib. c. 57. *Scurram duci ad ſupplicium imperauit*.

Tabella.

Tabellæ olim a materia, vel a numero foliorum nominabantur, vt: *eboreae, citreae, duplices, triplices* Erant & laureatæ, quas imperatores victoria potiti ad Senatum mittebant. Sc.

Ouid. I. Amor. El. XII. 27. *Ergo ego vos duplices*

plices rebus pro nomine ſenſi; Suet. Aug. *Et Gallum prætorem in officio ſalutationis, tabellas duplices veſte tectas tenentem;* Liu. L V. Dec. 5 *Ad foros publicos laureatas tabellas populo oſtendit.* ibid. *laureatas literas dixit.*

Apud Martialem tituli ſunt: *pugillares citrei; pugillares eburnei; pugillares membranei,* ſubaudi, *codicilli;* & Catull. Carm. XLIII. 5. dixit: *noſtra pugillaria,* ſubaudi *codicilla, vel epiſtola.* vid. literæ.

TABVLA.

In duodecim, quum legimus, facile tabulis intelligimus, id adnotarunt Reuardus & alii; Cic. de Leg. II. 23. *discebamus pueri duodecim, vt carmen neceſſarium, quas iam nemo diſcit.* S.

TABERNA.

Sutrina, piſtrina, medicina, teſte Varrone VII. de L. L. & Donato ad Terent. adiectiua ſunt, & deeſt *taberna, velars.* Senec. Ep. 90. *piſtrinum & ſutrinum* dixit, ſubaudiendo, *opificum.* S.

Perizon. piſtrinum apud Comicos paſſim pro loco ponitur, in quo fruges moluntur & panis conficitur. vid. Ter. *Dedam te in piſtrinum, cet.*

Plaut. Epid. II. II. 14. *in medicinis*, *in tonſtrinis*, *apud omnes aedeis ſacras.* id. Curcul. IV. I. 19. *Sub veteribus*, ſubaudi, *tabernis*; *ſub nouis*, Varr. L. V. L. L. & Liu. L. II. & XXV. Plin. L. XXV. c. 12. Gell. N. A. L. V. c. 4. init. *apud ſagittaria forte in libraria conſederamus*; plene Cic. orat. Philipp. II. 9. S.

TABERNACVLVM.

Auguſtale, eſt Ducis tentorium, ergo intellige, *tabernaculum.* Quinct. L. VIII. c. 2. it. *in prætorium.* S.

TALIS & TANTVS.

Homo illiteratus, *ſed cui paucos anteponas*, ſubaudi, talis: teſte Laurentio & Linacro. S.

it, *in qualis & quantus*, deeſt, *talis & tantus.*

Sequente relatiuo quantum, præcedat, *tantum*, e. gr. Vellei. II. 72. *Dux* (*tanto*) *melior Caſſius*, *quanto Vir Brutus.* G.

TECTVM.

Penetrale quum abſolute ponitur, tectum deſideratur. Virg. I. Georg. *Sæpius & tectis penetralibus extulit oua*: id. *penetralia tecta.* *vid. Culmen.* S.

In

In lacunar, quod eſt lacunare, ſubauditur, *tegmen*.

TELVM.

Dicunt Liu. I. 43. *fundas lapideſque miſſiles hi ſecum gerebant*; Propert. III 14 10. *miſſile pondus diſci*. Sed plurali abſolute poſito debetur, tela: e. g. Curt. IV. IV. 9. *Rex portum intrare non potuit, quum procul e muris miſſilibus ſubmoueretur*; Liu. XXXIV. 39. *Lacedæmonii miſſilibus pugnabant*; Virg. Aen. IX. 519. *pellere vallo miſſilibus certant*, ſcil. *telis*.

Neceſſarium eſt idem formulæ: petere aliquem, nach einem ſtechen, ſchieſen oder hauen, quod vel vnum exemplum docet. Curt. VI. 1. 4. *Vndique, nunc eminus, nunc cominus petebatur, diuque arma circumferens, alia tela clypeo excipiebat, alia corpore vitabat*. Hic locus cum duobus Nepotis ſimul oſtendunt, gladium quoque teli nomine contineri: Nep. XIV. II. 1. *Interim telum, quod latebat, protulit, nudatumque vagina veſte texit*; id. VII. X. 5. *quod gladius ei erat ſubductus, familiaris ſui telum eripuit*.

TEMPVS.

In ſubſtantiuis primo deeſt. *In præsentiarum* ex Perizonii ſententia huc referendum eſt, qui cum Vrſiuo ſubaudit, tempore. Confirmatur pluralis vſus vocis ex petronio, Cap. LVIII. & LXXIIII. Cellarius contra legit *in præſentia rerum*, alii, *in præſentia* tantum, vocemque, rerum ex abbreuiatu, ræ ignorantia, qua librarii vſi fuerint, eſſe dicunt. it. Belli. Terent. Heaut. I. 1. 60. *Belli reperire rem & gloriam armis*, *i. belli tempore.* vid. Voſſ. L. VII. art. Gram. p. 95.

II. in pronom. Liu. XXI. *Galli quum ad id dubios ſeruaſſet animos coacti ad vindices declinant;* Cæſ. I. Bell. ciu. *quoniam ad id tempus facultas colloquendi non fuerit;* & L. III. *Hæc ad id tempus Cæſar ignorabat*; ſimiliter in adhuc, pro *ad hoc* ſubauditur tempus, Lucret. I. *vt nubendi tempore in ipso Hoſtia concideret mactatu mœſta parentis;* Virg. *Impius ex quo Tydides*; id. Aen. II. 169. *Ex illo fluere ſpes Danaum;* id. I. Aen. *tempore iam ex illo.* Sc.

Poſt illa, poſtea, antea, præterea, antehac, poſt hac, vel poſt hæc, ſubaudi, *tempora vel*

vel negotia. Terent. Eunuch. I. II. 47. *Tute ſcis, poſt illa, quam intumum habeam te*; Cic. *poſt illa tempora quicunque remp. agitauere.* S.

Sic quapropter, i. e. propter quæ.

Hoc noctis, hoc ætatis, id ætatis, ſupple *ad, vel circa tempus, vel in tempus. Similiter hoc noctis tempus, hoc noctis tempore* dicetur; Plaut. Aſin. *ibi ad hoc diei tempus dormitaſti;* Cic. III. ad Quinct. frat. Ep. 5. *Noſtrum hoc tempus ætatis forenſi labore iactari.* Sc.

III. in adiectiuis. Terent. Hecyr. I. II. 19. *Illic non licebat, niſi præfinito loqui,* ſubaudi, tempore, teſte Donato; Liu XXXIIII. *Daret talenta centum in præsenti;* Plin. IX 10 - 12. *matutino, ſcil. tempore*; Quinct. XII. 18. pr. *eodem matutino;* Plin. X. 43. pr. *omnibus matutinis.* S.

Plene Cic. Fam. VII. Ep. 1. *matutina tempora lectiunculis consumo.* Amplior adiectiui vſus eſt Horat. II. Sat. VI. 25. *Matutine pater, ſeu Iane libentius audis.* id. v. 45. *matutina parum cautos iam frigora mordent.*

Sic dicimus: non ignara futuri; ſero ſapiunt

piunt phryges; *optato aduenis*; *collecta fatigat edendi ex longo rabies*; Plaut. Moſt. I. III. 2. *Velut horno meſſis magna fuit*; & apud Non. *Horno curari*; Juſtin. VI. c. VII. 10. *quin ex continenti acie decerneret*. Cic. Catil. *quibus te breui tempore confectum eſſe ſenties*.

Horat. *Lætus in præſens animus*; Plin. paneg. *quot non in præſens tantum, ſed in æternum repreſſiſti*, ſubaudi, *tempus*, vel *æuum*; Horat. Art. poet. v. 44. *præſens in tempus omittat*; Cic. I. Catil. 12. *Si minus in præſens tempus, at in poſteritatem impendet*; id. in Verr. V. 54. *Breui poſtea mortuus eſt*; Lucret. *in perpetuum*, ſubaudi, *tempus*; *perpetuo*, ſubaudi, *tempore*; Martial. *Nil agis & ſerum eſt, alium mihi quærere regem*; Virg. Aen. VIII. 529. *per ſudum rutilare vident*; id. *viſa ſub obſcurum lunæ*; Cic. XVI. Fam. Ep. 18. *Horologium mittam & libros, ſi erit ſudum* ſubaudi, *tempus*. *Nam ſudum vocabant, quæſi ſine vdo, poteſt deeſſe*: cælum.

IV. In temporibus verbi ſum. *Erit, quum feciſſe nolles*, ſubaudi, *tempus*; *iam aderit*.

rit, quum ſe quoque oderit; Virg. *Turno tempus erit, magno quum optauerit emtum intactum pallanta*; Cic. pro Mil. *erit, erit illud profecto tempus, & illuceſcet ille dies*; Plaut. Aul. prol. 4. *Hanc domum, multos annos eſt, quum poſſideo i. e. tempus, quum poſſideo multos annos hanc domum*; Sic Ouid. IV. Triſt. El. VIII *Nunc erat, vt poſito deberem fine laborum*, cet. Ter. in Andr. I. I. 125. *prope adeſt, quum alieno more viuendum eſt*; id. Eun. Act. III. Sc. V. 3. *Nunc tempus profecto eſt, quum perpeti me poſſum interfici.*

Tenebrio. f.
tenebro.

Requiritur in voce *infernus*, quod falſo pro ſubſtantiuo habetur. Etſi enim ex Varrone citat Borrichius, *ſaltem infernus tenebroſus* κακοδαίμονας *tenet*; aliter tamen Dionyſ. Godofredus legit ad Non. nimirum, *infernus tenebro*, κακὸς δαίμων. Accuratiſſima quoque Nonii editio parienſis de Anno 1614. habet *infernus tenebro*. De Julii obſequentis loco, qui Cap. XV.

fremitus, *inquit*, *armorum ex inferno auditus*, & cap. ſeq. *fremitus ab inferno ad cælum ferri viſus*. Cellarius obſeruat, aut neutrum hoc eſſe, vnde pluralis, inferna, aut, ſi maſculinum, vel ſubſtantiuum, a Chriſtianis obſequentem id hauſiſſe, qui medio Chriſtianorum ſeculo ſcripſerit. vid. Cell. de Barbariſmis p. 268. ſeqq.

Tentorivm.

Erat in prætorio. ſubaudi, *tentorio*, *vel tabernaculo*; Nam prætorius Vir dicitur, & *nauis prætoria*. vid. Aſcon. Paed. IV. Verr. S.

Periz. tentorium intelligit per prætorium in caſtris; in oppidis vero prouinciarum mauult, *domicilium*, quam *tentorium*.

Virg. Aen. II. 29. *Hic ſæuus tendebat Achilles*; Ouid. *Illic Æacides, illic tendebat Vlyſſes*, deeſt, *tentoria vel pelles*. S.

Tibi, Te.

Plaut. I. II. 8. Epid. *iam iſtoc probior es, meo quidem animo, quum in amore temperes* ſcil. *tibi*. id. Merc. II. III. 97. *quo vortiſti*, ſcil. *te*; Terent. Eun. II. III. 84. *præterea forma, ætas ipſa, facile vt pro Eunucho probes*, ſcil. *te*.

TERRA.

In patria. Virg. *Et patria decedens ponere terra.* Sic. id. *Alternis etiam tonſas ceſſare nouales,* ſubaudi, *terras; Alexander Tyrum continenti annexuit,* ſupple, *terræ*: nam ſic dicimus: *imber continens, labor continens, & ædificia continentia.* S.

Varro, cibante Chariſio, *in terra continenti.*

Iacet humi, pone humi, ſubaudi, *in terra humi*: Nam terra diuiditur in humum & aquam, adeoque latius patet, quam humus. Auguſtinus loquens de Varrone L. VII. de ciuit. Dei c. VI. ſic ait: ſed vt plures etiam introducat, adiungit, mundum diuidi in duas partes, cælum & terram: & cælum bifariam, in æthera & aerem; terram vero in aquam & humum. Terra igitur latius patet, quam humus: etiamſi idem Varro dicat in libris de. L. L. Terra, vt putant, eadem & humus; nam hoc non ex ſua ſed ex aliorum opinione dicit. vid. *Solum.*

Colere, ſcilicet, terram. Tacit. de Mor. Germ. c. XVI. pr. *colunt discreti ac diuerſi, vt fons, vt campus, vt nemus placuit;* Apul. I. Met. 12. *qui extra vrbem totam & pomærium colit*; Macrob. I. Sat. 2. *qui*

primi coluiſſe in Italia dicuntur ; incolere, ſcil. terram, Cæſ. I. B. G. V. 4. *proximique ſunt Germanis, qui trans Rhenum incolunt,* G.

Toga.

Sumſit prætextam, ſubaudi, *togam.* Cic. III verr. *Neque te commouebat, quod ille cum toga prætexta, quam quod ſine bulla, venerat;* Liu. IV. decad. 4. *toga prætexta.* S.

Tribvs.

Antiquitus ad nomina virorum Rom. adhibebatur, *tribus,* vt; *C. Septimius Quirina, M. Oppius Terentina,* ſupple, *ex tribu* Horat. L. I. Ep. VI. 52. *Hic multum in Fabia valet, ille Velina.* vid. Aſcon. Pæd. & Seru. in III. Aeneid. S.

Tvba.

Subauditur in Buccina, ſi Capro Grammatico credimus, qui buccinum ait eſſe canorem, ex tuba buccina editum. Sc.

Tvgvrivm.

Poteſt ſubaudiri in *tectum, lacunar.* Vitruuius L. II. c. 1. *Nonnulli ex vlua paluſtri componunt tuguria tecta Lacunar pro lacunare* adiectiuum eſt.

VA-

VADUM.

Virg. I. Aen. 112. *In breuia & Syrtis vrget*, ſubaudi, *vada*. Senec. in Herc. *Fur deprenſus hæſit Syrtium breuibus vadis*. S.

VAS.

Auſonius: *Fictilibus fama eſt, cœnaſſe Agathoclea regem*; Iuuen. *Sed nulla aconita bibuntur fictilibus*, ſubaudi, *vaſis*, *vel teſtis*. Valer. Max. L. IV. c. 3. *Fictil a ſe in eius menſa vaſa vidiſſe*. *Sic Corinthia vaſa*, *vt Corinthia aera*; ſic etiam *atramentarium* dicimus, ſubaudiendo *vaſculum*. S.

VECTIGAL.

In Verbo publicum abſolute poſito nonnumquam intelligitur, e. g. Hor. I. Ep. 77. *Pars hominum geſtit conducere publica*, Vectigalia; Suet. in Calig. c. XL. *Additumque ad caput legis, vt tenerentur publico, ſcil. vectigali, & qui meretricium, & qui lenocinium feciſſent*.

Plene, Suet. in Vitell. c. VII. *Sinueſſanos, Formianosque, quorum publica vectigalia interuerterat, non niſi calumniæ terrore amouit*.

VE.

VENIA.

Cellarius de Barbar. p. 86. VOCI deprecari addi vult, veniam, ac, idem eſſe, quod vehementer expetere, contra vulgarem vſum oſtendit.

VENTVS.

Virg. *Creberque procellis Africus*, ſubaudi, *ventus*; Cic. I. de N. D. 36. *Volucres angues vento Africo inuectas. Sic Fauonius, ſubſolanus, cet.* S.

VERBVM.

Terent. *Quid multis moror?* idem: *quid multis?* id. *paucis te volo*, ſubaudi, *verbis*; Cic. *Sed hæc ſatis multa, vel plura potius;* id. IV. verr. 46. *ne multis morer.* S.

Deeſt in participio, dictum, quod patet Phædr. III. F. IV. 5. *Ridicule magis hoc dictum, quam Vere, æſtimo.* aduerbium enim non conuenit ſubſtantiuo. G.

Terent. Phorm. III. III. 8. it. Plaut. Perſ. IV. VII. 19. *dictum ſapienti ſat eſt;* Cic. *Tuo liberto pluribus verbis ſcriptas pridie dederam;* Plaut. Curcul. *Reſpondit mihi paucis verbis.* S.

In iſta formula: invehi in aliquem, auf einen loß

fahren, einen ſchelten, deeſt, verba; Nep. XX. V. 3. *quum nonnulla inueheretur in Timoleonta;* id. XV. VI. 1. *quum in oratione ſua multa inuectus eſſet in Thebanos,* ſcil. *conuicta, ſ. verba:* quemadmodum Ouid. Triſt. II, 133. *Triſtibus inuectus verbis.* G.

Vestis.

Veſtimentum.

Quum abſolute dicimus, *bombycinas, ſericas, vndulatas,* intelligimus, *veſtes.* S.

Sicut veſtimenta, quum legimus, *pexa, trita, mutatoria, lugubria.* Seneca: *quædam matres amiſſis filiis impoſita lugubria numquam exuerunt.* Sc.

Siletur in alba. In Fabrino Theſauro legimus ad h. l. *Veteris eccleſiæ ſeptimanam in albis,* ſcil. *veſtimentis, indumentis; it. Diaconorum albam ſcil. veſtem.* G.

Mart. VIII. Epigr. 68. *Femineum lucet, ſic per bombycina corpus, ſcil. veſtimenta.* Exprimitur Iuuen. VII. 260. *Veſtis bombycina, quarum in coccina;* Mart. XIV. Epigr. 131. *Si veneto Praſinoue faues, qui Coccina ſumis;* id. II. Epigr. 39. *Coccina famoſæ donas, & Ianthina mœchæ, ſcil.*

ve-

veſtimenta; Plin. XXI. 6. ſcribit: *Ianthina veſtis.*

In lugubris, Ouid. Triſt. IV. II. 73. *Illa dies veniet, mea quo lugubria ponam;* Propert. IV. XII. 96. *bene habet, numquam mater lugubria ſumſi;* aliter Terent. Heaut. II. II. 45. *mediocriter veſtitam veſte lugubri oſtendimus* Horatius habet ſagum Epod IX. 28. *punico lugubri mutauit ſagum.* Sed & in punico ponas *veſtimento aut ſago.*

VERSVS IAMBICVS.

Deeſt Cic. Tuſc. qu. V. c. 23. *Tenebam enim quosdam ſenariolos, i. e. verſus Iambicos;* Phædr. prol. v. 2. *Ego poliui verſibus ſenariis.* iambicis ſcil.

VIA.

Terent. *Cur non recta introibas?* id. Heaut. III. II. 1. *Hac illac circumcurſa.* ſubaudi, *via. Hactenus, quatenus, eatenus, ſcil. via*; Virg. Aen. VI. 62. *Hac Troiana tenus fuerit fortuna ſecuta*; Terent Phorm. *correcta via equidem illuc*; id. Heaut. *imo vt recta via rem narret ordine.* S.

Plaut. Caſ. *Vbi intro nouam nuptam deduxi via recta, clauem obduxi.* Sc.

Cic.

Cic. *Recta via perge in exſilium*, *vid: finis*, & *regio*. Horat. *Minus eſt grauis tardis*, ſubaudi, *via*; Iuuen. *dum peruolat axe citato Flaminiam*; Cic. II. in Catil. *Aurelia via profectus eſt*. S.

Sic Ouid. L. II. ex Ponto Ep. VII. 44. *Nec magis eſt curuis Appia trita rotis*.

Virg. *Decus hoc inibit, te conſule, o! Pollio*, ſupple, viam.

Id. Ge. III. *Primus & ire viam, & fluuios tentare minaces Audet*, cet. Sc,

Sic ineunte vere, ineunte ætate, ſcil. viam, Cic. pro Murena: *inite viam, præſto aderat ſapiens ille, qui inire viam doceret; redite viam: eodem duce redibant*, vid. Iter. S.

Deeſt Liu. XXVI. 27. *qui euaſiſſent aliqua*; Cic. in Verr. III. 26. *aliqua euolare*; Sall. I. Hiſt. Orat. Phil. *perge, qua cœpiſti*. conf. Cic. ad Quinct. Fratr. III. I. 2. *Ex eo loco recta vitularia via profecti ſumus*; Eutrop. IX. 9. *Interfectus eſt in itineris medio, quod inter Conſtantinopolim & Heracleam eſt ſtratæ veteris, ſcil. viæ*. G.

Cellarius de Barbar. p. 230. allegat legem IV. Cod.

Cod. de Priuil. Dom. Aug. *de pontium ſtratarumque operibus* ; Sen. Ep. 27. *Hanc compendiariam ſcil. viam & rationem excogitauit* ; Petron. c. II. *Magnæ artis compendiariam inuenit.*

Plene Val. Max. VII. 2. extr. *Socrates expedita & compendiaria via eos ad gloriam peruenire dicebat.*

VICE.

Plin. IX. Ep. 33. n. 2. *Aeſtuarium vice alterna nunc infertur mari.*

Grammatici imperſonalium genitiuum hinc deducunt. Ablatiuis certe pronominum mea, tua, noſtra, cet. verborum intereſt & refert non male adpoſueris, vice, niſi vero magis placuerit, cauſſa. conf. Sen. Hippol. v. 1028. *vicibus alternis.*

Virg. Ecl. III. 59. *Alternis dicetis* ; *amant alterna Camœnæ* ; Senec. *Alternæ inter cupiditatem & pœnitentiam noſtram vices ſunt.* Sc.

VINVM.

Ouid. IV. Faſt. 888. *præmia de lacubus proxima muſta tuis*, ſupple, *vina. Muſtum*, Nonius inquit, *non vinum ſolum, verum nouellum quidquid eſt, recte dicitur.* Næuius

us Gymnaſt. *Vtrum eſt melius, virginem; an viduam uxorem ducere? Virginem ſi muſta eſt;* Cato c. 114. Ruſt. *In vinum muſtum veratri atri manipulum conii. cito;* Plaut. *Muſtam iuuencam dixit.* S.

In nomine quoque merum deeſt, *vinum. Nam & mera aqua dicitur;* Ouid. XV. Metam. *Gaudetque meris abſtemius vndis;* id. *haud aliter titubat, quam ſi mera vina bibiſſet.* Sc.

Plaut. Amph I. I. 274. *Vini meri hirnea;* Stich. I. III. 116. *vinum ſubmerum,*

Deeſt & in illis *Calenum, Cærubum, Albanum, Falernum, Fundanum, Campanum, Maſſicum, Veientanum.* Petron. *Vino etiam Falerno inundamur;* Horat. *Qui miſcet fæce Falerna vina: Maſſica, ſi cælo ſupponas vina ſereno; plenus Albani cadus, Cæcuba dignior;* & L. I. od. 31. *premant Calena falce, quibus dedit fortuna vitem;* id. *Vina Torquato conſule preſſa: preſſum Calibus ducere liberum;* Propert. *Et noua preſſantes inquinet vna pedes;* Tibull. *preſſaque veloci candida muſta pede;* Ouid. *Stabat, & autumnus calcatis ſordibus vues,*

Coniux meus, ſubaudi, *Vir.* Coniux enim vt conſors & compar adiectiuum eſt. Iuges inges inquit Feſtus, eiusdem iugi pares: vnde *& coniuges & ſeiuges. Iniuges boues vel beſtiæ.* Macrob. Lib. III. c. 3. S.

Eadem eſt ratio in maritus, vt ſubaudiatur, *Vir.* Maritus eſſe adiectiuum multa probant teſtimonia: legimus enim *per maritas domos; thoros maritos; marita ſacra; venerem maritam; legem maritam;* Catull. *vitis vlmo coniuncta marita;* vbi vlmus maſculine poſitum eſt. Cato in Ruſt. *Arbores facito, vti bene maritæ ſunt;* Plin. L. XVII. cap. II. *Maritas vlmos autumno ſerere vtilius. Maiores, minores, optimates, magnates, primates, ædiles,* ſubaudi, *viri.* Catull. *primores Argiuorum;* Plaut. Stich. *Ergo oratores populi, ſummates viri ſummi accumbent, ego infimatis infimus.*

Liu. VI. 42. in fine: *vt duo viros ædiles ex patribus dictator populum rogaret.* vid. *homines.* Sc.

Pater tuus eſt bonus, ſupple, vir. Horat. I. Sat. IV. 17. *Di bene fecerunt, inopis me, quodque puſilli Finxerunt animi,* ſupple,

virum

virum vel hominem. Sic in illis: *Plato fuit magni ingenii, variæque doctrinæ; Ariſtoles fuit diuerſæ factionis*; Suet. *Caſſium diuerſæ partis conſpexit*; Horat. L. II. od. II. 6. *notus in fratres animi paterni;* Cic. *neque te monere audeo præſtanti prudentia virum, neque confirmare maximi animi hominem.* S.

Virga.

Rudem accipere, ſupple *virgam*, *i. e. libertate donari*; vnde *rude donatus*. Virga autem illa erat rudis & impolita.

Viscera.

In *inteſtina*, quod adiectiuum eſſe cognoſcitur Nep. XXII. II. 1, *diuturnitate externi mali tantum exarſit inteſtinum bellum.*

Vita.

In agere, peragere, & tractare, ſæpe deeſt *vitam vel ætatem*, quod notius eſt, quam vt indicari conueniat. S.

Horat. *Vitamque ſub dio, & trepidis agat in rebus*; Cic. *Vita alicubi honeſte tractata; reliquum temporis ſpatium*

ab vtroqne diſſimili ratione tractatum; Lucret. *Vulgiuago vitam tractabant more ferarum.* Sc.

VIVVS.

Verbo eſſe, fuiſſe, leben, gelebt haben, geſtorben ſeyn, deeſt *viuum*, ſ. *in vita*; Cic. Fam. VI. Ep. 3. *Nec enim dum ero, angar vlla re; & ſi non ero i. e.* viuus; id. Tuſc. 1.16 *Fuit viuus, meo regnante gentili.*

In *Nardinum, Telinum, Amaracinum* & ſiſimilibus, deeſt *vnguentum*. Iul. Cæſar. *Corpus ſuaui Telino vngimur, i. vnguento, quod conficitur in Telo inſula*; Lucret. *denique Amaracinum fugitat ſus & timet omne vnguentum.* Sc.

In oliuo ſimiliter *vnguentum* ſubaudimus. Horat. I. Sat. VI. 123. *vngor oliuo.*

VNVS.

Deeſt Horat. III. od. XIII. 13. Fies, ſcil. vnus, *nobilium tu quoque fontium.* Etiam, Vir, inſeri poteſt, vel, aliquis.

VOLVMEN.

Vopiſc. in Aurel. c. 36. *Breue nominum conſcripſit;* id. in Bonoſo c. 15. *dabis ei iuxta breue infra ſcriptum omnium, quæ præ-*

ci-

cipimus. Sic breue pontificum Rom. eſt *volumen*, it. Herbarium i. *volumen*, vti Plin. VII. 56. *ars herbaria*.

VOLVNTAS.

In verbo conſentire ſubintelligo, vti exprimitur Nep. in Cim. III. 3. *Satius exiſtimans eos & ciues ſuos interſe vna voluntate conſentire*.

VRBS.

Narbo, ex terminatione maſculinum eſt, vt *Sulmo*, & *Hippo*. Sed, barbara *Narbo*, ſubaudi, *vrbs*; item, *magna Tarentum*. Plinius: *Cydnus Tarſum liberam vrbem procul a mari ſecans*; Liu. L. III. Decad. 1. *Antium propinquam & opportunam & maritimam urbem, coloniam deduci poſſe*; Plin. *Volſinii, oppidum Tuſcorum opulentiſſimum*; Iuſtin. L. III. *Byzantium nobilem & maritimam vrbem*; Pompon. Mela: *non longe ab Ilio, vrbe, fama, excidio, &c.* S.

In nominibus vrbium, prouinciarum, & inſularum, ſi ſit genitiuus, deeſt *vrbs*, *vel oppidum, prouincia, inſula, vel locus*. Neque enim vera docent Grammatici, quum ex hac doctrina nomina prouinciarum & inſularum excludunt. Varr. L. I. c. 7. Ruſt. *ita-*

Venia.

Cellarius de Barbar. p. 86. VOCI deprecari addi vult, veniam, ac, idem eſſe, quod vehementer expetere, contra vulgarem vſum oſtendit.

Ventvs.

Virg. *Creberque procellis Africus*, ſubaudi, *ventus;* Cic. I. de N. D. 36. *Volucres angues vento Africo inuectas. Sic Fauonius, ſubſolanus, cet.* S.

Verbvm.

Terent. *Quid multis moror?* idem: *quid multis?* id. *paucis te volo*, ſubaudi, *verbis*; Cic. *Sed hæc ſatis multa, vel plura potius;* id. IV. verr. 46. *ne multis morer.* S.

Deeſt in participio, dictum, quod patet Phædr. III. F. IV. 5. *Ridicule magis hoc dictum, quam Vere, æſtimo.* aduerbium enim non conuenit ſubſtantiuo. G.

Terent. Phorm. III. III. 8. it. Plaut. Perſ. IV. VII. 19. *dictum ſapienti ſat eſt;* Cic. *Tuo liberto pluribus verbis ſcriptas pridie dederam;* Plaut. Curcul. *Reſpondit mihi paucis verbis.* S.

In iſta formula: invehi in aliquem, auf einen loß fah-

fahren, einen ſchelten, deeſt, verba; Nep. XX. V. 3. *quum nonnulla inueheretur in Timoleonta;* id. xv. vi. 1. *quum in oratione ſua multa inuectus eſſet in Thebanos,* ſcil. *conuicta, ſ. verba:* quemadmodum Ouid. Triſt. II, 133. *Triſtibus inuectus verbis.* G.

Vestis.

Veſtimentum.

Quum abſolute dicimus, *bombycinas, ſericas, vndulatas,* intelligimus, *veſtes.* S.

Sicut veſtimenta, quum legimus, *pexa, trita, mutatoria, lugubria.* Seneca: *quaedam matres amiſſis filiis impoſita lugubria numquam exuerunt.* Sc.

Siletur in alba. In Fabrino Theſauro legimus ad h. l. *Veteris eccleſiae ſeptimanam in albis,* ſcil. *veſtimentis, indumentis; it. Diaconorum albam ſcil. veſtem.* G.

Mart. VIII. Epigr. 68. *Femineum lucet, ſic per bombycina corpus,* ſcil. *veſtimenta.* Exprimitur Iuuen. VII. 260. *Veſtis bombycina, quarum in coccina;* Mart. XIV. Epigr. 131. *Si veneto Praſinoue faues, qui Coccina ſumis;* id. II. Epigr. 39. *Coccina famoſae donas, & Ianthina moechae,* ſcil. ve-

veſtimenta; Plin. XXI. 6. ſcribit: *Ianthina veſtis.*

In lugubris, Ouid. Triſt. IV. II. 73. *Illa dies veniet, mea quo lugubria ponam;* Propert. IV. XII. 96. *bene habet, numquam mater lugubria ſumſi;* aliter Terent. Heaut. II. II. 45. *mediocriter veſtitam veſte lugubri oſtendimus* Horatius habet ſagum Epod IX. 28. *punico lugubri mutauit ſagum.* Sed & in punico ponas *veſtimento aut ſago.*

VERSVS IAMBICVS.

Deeſt Cic. Tuſc. qu. V. c. 23. *Tenebam enim quosdam ſenariolos, i. e. verſus Iambicos;* Phædr. prol. v. 2. *Ego poliui verſibus ſenariis.* iambicis ſcil.

VIA.

Terent. *Cur non recta introibas?* id. Heaut. III. II. 1. *Hac illac circumcurſa,* ſubaudi, *via.* *Hactenus, quatenus, eatenus, ſcil. via;* Virg. Aen. VI. 62. *Hac Troiana tenus fuerit fortuna ſecuta;* Terent Phorm. *correcta via equidem illuc;* id. Heaut. *imo vt recta via rem narret ordine.* S. Plaut. Caſ. *Vbi intro nouam nuptam deduxi via recta, clauem obduxi.* Sc.

Cic.

Cic. *Recta via perge in exſilium.* vid: *finis, & regio.* Horat. *Minus eſt grauis tardis,* ſubaudi, *via*; Iuuen. *dum peruolat axe citato Flaminiam*; Cic. II. in Catil. *Aurelia via profectus eſt.* S.

Sic Ouid. L. II. ex Ponto Ep. VII. 44. *Nec magis eſt curuis Appia trita rotis.*

Virg. *Decus hoc inibit, te conſule, o! Pollio,* ſupple, viam.

Id. Ge. III. *Primus & ire viam, & fluuios tentare minaces Audet, cet.* Sc.

Sic ineunte vere, ineunte ætate, ſcil. viam. Cic. pro Murena: *inite viam, præsto aderat ſapiens ille, qui inire viam doceret; redite viam: eodem duce redibant.* vid. Iter. S.

Deeſt Liu. XXVI. 27. *qui euaſiſſent aliqua;* Cic. in Verr. III. 26. *aliqua euolare*; Sall. I. Hiſt. Orat. Phil. *perge, qua cœpiſti.* conf. Cic. ad Quinct. Fratr. III. I. 2. *Ex eo loco recta vitularia via profecti ſumus;* Eutrop. IX. 9. *Interfectus eſt in itineris medio, quod inter Conſtantinopolim & Heracleam eſt ſtratæ veteris, ſcil. viæ.* G.

Cellarius de Barbar. p. 230. allegat legem IV. Cod.

Cod. de Priuil. Dom. Aug. *de pontium ſtratarumque operibus*; Sen. Ep. 27. *Hanc compendiariam ſcil. viam & rationem excogitauit*; Petron. c. II. *Magnæ artis compendiariam inuenit.*

Plene Val. Max. VII. 2. extr. *Socrates expedita & compendiaria via eos ad gloriam peruenire dicebat.*

Vice.

Plin. IX. Ep. 33. n. 2. *Aeſtuarium vice alterna nunc infertur mari.*

Grammatici imperſonalium genitiuum hinc deducunt. Ablatiuis certe pronominum mea, tua, noſtra, cet. verborum intereſt & refert non male adpoſueris, vice, niſi vero magis placuerit, cauſſa. conf. Sen. Hippol. v. 1028. *vicibus alternis.*

Virg. Ecl. III. 59. *Alternis dicetis; amant alterna Camœnæ*; Senec. *Alternæ inter cupiditatem & pœnitentiam noſtram vices ſunt.* Sc.

Vinum.

Ouid. IV. Faſt. 888. *præmia de lacubus proxima muſta tuis*, ſupple, *vina. Muſtum*, Nonius inquit, *non vinum ſolum, verum nouellum quidquid eſt, recte dicitur*. Næuius

us Gymnaſt. *Vtrum eſt melius, virginem; an viduam uxorem ducere ? Virginem ſi muſta eſt ;* Cato c. 114. Ruſt. *In vinum muſtum veratri atri manipulum conii. cito ;* Plaut. *Muſtam iuuencam dixit.* S.

In nomine quoque merum deeſt, *vinum. Nam & mera aqua dicitur*; Ouid. XV. Metam. *Gaudetque meris abſtemius vndis ;* id. *haud aliter titubat, quam ſi mera vina bibiſſet.* Sc.

Plaut. Amph I. I. 274. *Vini meri hirnea ;* Stich. I. III. 116. *vinum ſubmerum,*

Deeſt & in illis *Calenum, Cærubum, Albanum, Falernum, Fundanum, Campanum, Maſſicum, Veientanum.* Petron. *Viuo etiam Falerno inundamur ;* Horat. *Qui miſcet fæce Falerna vina: Maſſica, ſi cælo ſupponas vina ſereno ; plenus Albani cadus, Cæcuba dignior ;* & L. I. od. 31. *premant Calena falce, quibus dedit fortuna vitem ;* id. *Vina Torquato conſule preſſa : preſſum Calibus ducere liberum ;* Propert. *Et noua preſſantes inquinet vna pedes ;* Tibull. *preſſaque veloci candida muſta pede ;* Ouid. *Stabat, & auctumnus calcatis ſordibus vues,*

Coniux meus, ſubaudi, *Vir.* Coniux enim vt conſors & compar adiectiuum eſt. Iuges inges inquit Feſtus, eiusdem iugi pares: vnde *& coniuges & ſeiuges. Iniuges boues vel beſtiæ.* Macrob. Lib. III. c. 3. S.

Eadem eſt ratio in maritus, vt ſubaudiatur, *Vir.* Maritus eſſe adiectiuum multa probant teſtimonia: legimus enim *per maritas domos; thoros maritos; marita ſacra; venerem maritam; legem maritam;* Catull. *vitis vlmo coniuncta marita;* vbi vlmus maſculine poſitum eſt. Cato in Ruſt. *Arbores facito, vti bene maritæ ſunt;* Plin. L. XVII. cap. II. *Maritas vlmos autumno ſerere vtilius. Maiores, minores, optimates, magnates, primates, ædiles,* ſubaudi, *viri.* Catull. *primores Argiuorum;* Plaut. Stich. *Ergo oratores populi, ſummates viri ſummi accumbent, ego infimatis infimus.*

Liu. VI. 42. in fine: *vt duo viros ædiles ex patribus dictator populum rogaret.* vid. *homines.* Sc.

Pater tuus eſt bonus, ſupple, vir. Horat. I. Sat. IV. 17. *Di bene fecerunt, inopis me, quodque puſilli Finxerunt animi,* ſupple, *virum*

virum vel hominem. Sic in illis: *Plato fuit magni ingenii, variaque doctrinæ; Ariſtoles fuit diuersæ factionis*; Suet. *Caſſium diuersæ partis conſpexit*; Horat. L. II. od. II. 6. *notus in fratres animi paterni*; Cic. *neque te monere audeo præſtanti prudentia virum, neque confirmare maximi animi hominem.* S.

VIRGA.

Rudem accipere, ſupple *virgam*, *i. e. libertate donari*; vnde *rude donatus.* Virga autem illa erat rudis & impolita.

VISCERA.

In *inteſtina*, quod adiectiuum eſſe cognoſcitur Nep. XXII. II. 1. *diuturnitate externi mali tantum exarſit inteſtinum bellum.*

VITA.

In agere, peragere, & tractare, ſæpe deeſt *vitam vel ætatem*, quod notius eſt, quam vt indicari conueniat. S.

Horat. *Vitamque ſub dio, & trepidis agat in rebus*; Cic. *Vita alicubi honeſte tractata; reliquum temporis ſpatium*

cipimus. Sic breue pontificum Rom. eſt *volumen*, it. Herbariumi. *volumen*, vti Plin. VII. 56. *ars herbaria*.

Volvntas.

In verbo conſentire ſubintelligo, vti exprimitur Nep. in Cim. III. 3. *Satius exiſtimans eos & ciues ſuos interſe vna voluntate conſentire.*

Vrbs.

Narbo, ex terminatione maſculinum eſt, vt *Sulmo*, & *Hippo*. Sed, barbara *Narbo*, ſubaudi, *vrbs*; item, *magna Tarentum*. Plinius: *Cydnus Tarſum liberam vrbem procul a mari ſecans*; Liu. L. III. Decad. 1. *Antium propinquam & opportunam & maritimam urbem, coloniam deduci poſſe*; Plin. *Volſinii, oppidum Tuſcorum opulentiſſimum*; Iuſtin. L. III. *Byzantium nobilem & maritimam vrbem*; Pompon. Mela: *non longe ab Ilio, vrbe, fama, excidio, &c.* S.

In nominibus vrbium, prouinciarum, & inſularum, ſi ſit genitiuus, deeſt *vrbs*, *vel oppidum, prouincia, inſula, vel locus.* Neque enim vera docent Grammatici, quum ex hac doctrina nomina prouinciarum & inſularum excludunt. Varr. L. I. c. 7. Ruſt. ita-

itaque Cretæ ad Gordyniam dicitur platanus eſſe; Cic. Attic. V. Ep. 9. *quum Corcyræ epulati eſſemus*; Virg. III. Aeneid. 162. *Cretæ iuſſit conſidere Apollo*; Maxim. L. IV c. 1. *Duos egregiæ indolis filios ſuos a Gabinianis militibus Ægypti occiſos cognouit*; Salluſt. Iugurth. *Romæ, Numidiæque facinora eius memorat.*

Sed iam, quod deſiderari contendimus, oſtendamus. Cic. pro Flacco 30. *Num honeſtior eſt ciuitas pergamena, quam Smyrnæ.* id. IV. Philipp. 6. *Albæ conſtiterunt, in vrbe opportuna*; id. pro Arch. 4. *Antiochiæ loco celebri*; id. IV. 46. Verr. *cuius duo fana duabus in inſulis poſita ſociorum, Melitæ & Sami*; Virg. VI. Aen. *Mediamque per Elidis vrbem*: Sic enim legendum, non: *mediaque Palladius*; it. in *oppido Cumarum.* Sed ſi licet dicere, vt Scaliger annotauit, *vrbs Spartana & oppidum Tarentinum*; cur non licebit *vrbs Spartae, & oppidum Tarenti?* Cur etiam non dicam: *Natus eſt Toleti, celeberrima Hiſpaniæ vrbe?* Virg. X. Aen. *Hic locus vrbis erit.*

Horat. *Non eſt aptus equis Ithacæ locus*, pro, *non eſt Ithaca equis apta*; Vitrum.

Ta-

procem. L. I. *Nobili græcorum & ampla ciuitate Epheſi, cet.* S.
conf. Tacit. Hiſt. II. 1. *Vbi Corinthi Achaiae vrbe, certos nuntios accepit.* P.

VRCEVS.

Aqualis & aquale, ſicut, *aquarius, a, um* quod ad aquam pertinet; Plaut. Curc. II. III. 33. *Date aqualem cum aqua*, ſubaudi, *vrceum*. Matius apud Agell. X. c. 24. *Aquarium vrceum vnicum domi fregit*; Plaut. Mil. Act. III. Sc. II. 39. *Aqualem* in feminino dicit, vbi ſubauditur *amphora, vel hama.*

VSVRA.

Cic. *Omnino ſemiſſibus magna copia eſt*, ſupple, *vsuris*. Sic *dextantes, beſſes, centeſimæ.* S.

VVLNVS.

Deeſt in prouerbio: *Habet, i. e. vulneratus eſt*, er hat eins kriegt, Terent. Andr. I. I. 56. Sic vulnerato gladiatore, exclamabatur: *Habet*! conf. Virgil. XII. Aeneid. 296. *Hoc habet, hæc melior magnis data victima diuis*; Senec. Agamemn. v. 895. ſ. *Habet, peractum eſt, pendet exigua male caput amputatum parte.*

Vvltvs.

Nupſit regi, ſupple, *vultum*, *vel ſe ipsam*: Nubo enim proprie operire ſignificat; & nouæ nuptæ flammeum ante oculos fere-bant, ob pudorem. S.

Caper de orthogr. *Mulier nubit, quia pallio obnuit caput, genasque*. Sc.

Vxor.

Coniux mea, ſupple, *vxor*. vid. *Vir*. Iniuges, quæ nondum iugum paſſæ ſunt. Apuleius. *quinque coniuges coputæ iis ordinatæ vicibus*, cet. Eadem eſt ratio in *marita*; vt ſubaudiatur, *vxor*. S.

Lucan. L. II. *Liceat ſcripſiſſe, Catonis Martia*, ſubaudi, *vxor*.

CAP. II.

De Ellipſibus verborum.

Accipere.

Cic. L. I. Attic. Ep. 2. *Abs te tamdiu nihil literarum?* ſubaudi, *accipio*, ſ. *perfertur*. Additur ab eo II. ad Quint. fratr. Ep. 14 *Accepi literas tuas datas Placentiæ, deinde alteras poſtridie datas Blandenonæ;* it. Fam. II. Ep. 10. init.

Adesse, Advenire.

En! Priamus! ecce! homo, ſupple *adeſt*, *venit;* Ouid. *Ecce! Lycaoniæ proles ignara parentis; Arcas adeſt;* ibid. *ecce! venit rutilis humeros protecta capillis Filia Centauri;* id. III. Metam. *ecce! viri fautrix ſuperas delapsa per auras Pallas adeſt;* Terent Adelph. *ecce! autem hic adeſt ſenex noſter.* S.

K 5 Plaut.

Plaut. Mercat. prolog. *Ecce! ad me aduenit mulier.* Sc.

Subintelligitur etiam poſt exclamationem. Ter. Eun. III. V. 12. *O! feſtus dies hominis, ſ. adeſt.* vti: Ouid. Triſt. III. XIII. 1. ſ. *Ecce! ſuperuacuus (quid enim fuit vtile gigni?) ad ſua natalis tempora noſter adeſt.* G.

Adferre.

Cic. Attic. I. XIII. Ep. 16. *Ecce tuae literae, ſcil. adferuntur.*

Adspicere. Videre.

En! Ecce! accuſatiuo & nominatiuo iungunt Grammatici, vt: *en! quatuor aras, ecce! hominem vel homo.* Inepte vtrumque; nam in accuſatiuo deeſt, *vide*; in nominatiuo, *venit.* Lucan. L. I. *Ecce! videt capiti fibrarum increſcere molem*; Terent. Eunuch. *Sed eccum Parmenonem incedere video*; id. *atque eccum Phidippum optime video;* id. *ſed eccam Thaidem ipſam video*; Ouid. II. Metam. *Adſpice vultus ecce! meos*; ibid. *Toſtos en! adſpice crines.* S.

In aliis verbis congruis etiam eſt *doleo*, quod ad-

addas; Cic. Attic. X. Ep. 12. *Me eccum doleo, qui hac ante non viderim,* G.

Agere.

Supplendum aliquando in verbo *ſum.* Salluſt. c. XIII. 73. *Ea res fruſtra fuit,* ſcil. acta; Cic. I. Fam. Ep. I. *Regis cauſa hæc ſunt*; Cic. de diuin. II. 24. *Sed hac hactenus,* ſcil. acta ſunt; id. Fam. II. Ep. 1. *de literis hactenus,* ſcil. egimus.

Amare, Adivvare.

Me hercule; me Caſtor; Medius fidius, ſupple, *amet, vel adiuuet*: quaſi dicas, *me Dei filius adiuuet; me Hercules amet.* Me hercule, pro me Hercules dictum eſſe, auctor eſt Cicero in Oratore. Feſtus in voce, Me Caſtor & me hercules, iusiurandum erat, quaſi diceretur: *ita me Caſtor, ita me Hercules*; vt ſubaudiatur, *iuuet.* Terent. *Egone illam?* ſcil. *amem, quæ illum,* ſcil. *amat; quæ me,* ſcil. *non amat ſ. reſpuit; quae non,* ſcil. *vult a me amari*; Cic. pro Planc. c. 26. *Vere me hercules hoc dicam,* qui tamen in Orat. c. 47. ſe libentius dicere, me hercule, quam me hercules fatetur. S.

Ma-

Male autem vel inepte Apulei. Metam. V. p. m. 163. mulierem dixiſſe fingit: *Sic eſt, Hercules; ita me Hercules amet.* Sexui enim ſequiori ceu inermi dictu nefas fuit, quum Herculi omnium fortiſſimo omnino ſit impar. G.

Attinere.

In quantum ad, quod ad, ſubauditur, verbum *attinet.* Ouid. *quantum ad te,* Theſeu, volucres Ariadna marinas Pauit in ignoto ſola relicta loco; Liu. VIII. *Otium inde quantum cet.* Varro I. Ruſt. 9. *quod ad culturam, refert, vtrum terra ſit macra, an pinguis.*

Hoc non intelligentes duobus locis Varronem corruperunt, ex *quod ad* facientes, *quoad,* quod eſt plane barbarum. Sc.

Si nimirum, Perizonius inquit, *quoad adhibeatur* pro *quod ad,* ceteroqui ſatis latinum.

Pro attinere intellige, *pertinere* in *vicem.* Cic. Fam. I. Ep. 9. *noſtram vicem,* i. quod ad nos *pertinuit, quod ipſi facere debuimus, vltus eſt ipſe ſeſe.*

Terent. Andr. I. II. 16. *nihil ad me attinet;* Cic. pro Roſc. Amer. c. 41. *Seruos ipſos, quod ad me attinet, neque arguo, neque pur-*

purgo; Ter. Adelph. II I. 32. *aliena eaque, nihil quæ ad te attinet.* G.

Avdire, Narrare.

O! particulam, dicunt, regere tres caſus, quum nullum poſſit regere, vt: *o! curas hominum; o! pamphile; o! vir fortis atque amicus.* Sed vocatiuus non indiget vlla particula. In reliquis eſt ſignum admirationis, & deeſt verbum aliquod; & vero ſi enunties hos accuſatiuos interrogando, quomodo regentur ab illa particula, quæ ne intelligi quidem poteſt? vt, ſi dicas, *hæccine flagitia? hoccine ſeculum?* aut in reſpondeo, vt: *O! fortunatam, natam me consule Romam, Te consule fortunatam.* Terent. Heaut. *quid ait? CL. ſe miſerum eſſe. CHR. Miſerum?* deeſt igitur verbum, *dico, audio, aio vel narro.* Ter. Phorm. *Iocularem audaciam. Deeſt,* inquit Donatus, *audio ex te,* vel, *dicis.*

Poteſt & intelligi, *narras.* Terent. Andr. *Bonum ingenium narras adoleſcentis.* S.

Canere.

Deeſt in illo Terent. Eunuch. I. II. 53. *fidibus ſcire,* ſupple, *canere.* Noli ergo ſolœciſmi hunc locum accuſare. Bene Kockertus

tus indic. ad Ter. ſub voce *ſcire*, elegantem ac vetuſtam ellipſin dicit, ſimilem germanorum: Er kanns auf der Harffe, cet.

CAVERE.

Virgil. *Ah te ne frigora lædant! ah tibi ne teneras glacies ſecet aſpera plantas.* Ouid. Metamph. I. *Me miſeram, ne prona cadas, indignaue lædi Crura notent ſentes.* ſubaudi, *caue ſ. vide.*

COEPISSE.

Infinitum dicunt accipi pro imperfecto præterito; vt, *populus ea mirari*, pro, *mirabatur*: ſed deeſt, *cœpit* vel ſimile aliquid, vt recte docet Quinctil. L. IX. c. 3. & Donat. Hecyr. Sc. 2. & Seruius X. Aeneid. *ire prior pallas.* S.

Sæpe id exprimitur Phædro & quidem L. I. F. XIV. 2. F. XIX. 8. F. XX. 5. F. XXX. 11. Libr. II. F. II. 7. *Capillos homini legere cœpere ſinguli.* G.

COGITARE.

Plin. L. I. Ep. 8. *Qua ex cauſſa ſæpe mecum,* ſcil. *cogito*.

CONCVMBERE.

Quibus obſcœna legere non eſt nefas hoc notant

tant in *ſolere*. Plaut. Ciſt. I. I. 38. *Viris cum ſuis prædicant nos ſolere: ſuas pellices eſſe aiunt*; in Epigr. quodam: *Conſule Pompeio primum duo Cinna ſolebant mæchi*, ſcil. *concumbere*.

Conferre.

Periodum claudat in Cic. quæſt. Acad. c. IV. *Cæleſtia autem vel procul eſſe a noſtra cognitione cenſeret, vel ſi maxime cognita eſſent, nihil tamen ad beneuiuendum*, ſcil. conferre.

Convenire.

Qui de inopinato alterius acceſſu quærit, vſitatius dicit; *quid me vis ?* quam; *quid me vis conuenire*. Sic recentius Friſchlinus in Iul. rediu. p. 228. *ediſſeram, quid rei vos velim*.

Credere.

Lucret. *Sed vix adducor, vt ante non qui erint animo præſentire atque videre*, pro: *vix adducor, vt credam*. Sc.

Cic. Fam. II. Ep. 10. *Non enim adduci poſſum, vt abs te nullas putem datas;* Epiſt. XVI. *Illud miror, adduci potuiſſe te, vt me*

me exiſtimares tam improuidum. Puto enim & exiſtimo cum credo h. l. congruunt. G.

DARE.

Phædr. III. F. XVIII. 9. *quo mi, inquit, mutam ſpeciem?* ſcil. *dediſti.* conf. v. 10. *fatorum arbitrio partes ſunt vobis datæ.*

DEBERE.

Ne alienum pro hoc ſuppleas differentia eſt notanda. *Debet & oportet* æqualiter ſignificant, vbi de iure & ex lege aliquid fieri dicimus; *decet*, quod fit ex conſuetudine & more gentium; *licet*, quod fit ſine cujusquam offenſione; *neceſſe eſt*, quod per rei naturam aliter fieri nequit; *opus eſt*, quod commodum fieri ſuadet. Cic. pro Balb. c. 3. fin. *eſt aliquid, quod non oporteat, etiamſi licet;* Ouid. de A. A. 1. 509. *forma viros neglecta decet.* Terent. *Tantamne rem tam negligenter agere*, ſupple, decet; Cic. de Iuuent. II. 57 *Corpus mortale aliquo tempore interire neceſſe eſt.* Sen. Ep. 94. *Emas, non quod opus eſt, ſed quod neceſſe eſt.*

DICERE.

Deeſt Cic. Attic. VI. Ep 9. *Ac ne multa, ſcil. dicam, cognoui ex eo, cet.* id. X. Ep. 1. *ne multa,*

multa, ſcil. dicam, *omnes ſuos caros habet;* Nep. XXI. III. 7. *ſed ſatis de hoc*, ſupple: dixi.

Efficere.

Adde verbo poſſe, cum accuſatiuo poſito. Nep. XX. IV. 5. *quod ceteri reges imperio potuerunt;* id. X. III. 3. *Plato autem tantum apud Dionyſium auctoritate potuit.*

Esse.

Verbum *eſt* ita paſſim ſubauditur, vt ſuperuacuum ſit, illud admonere. *Quid graculo cum fidibus?* ſcil. eſt. Virg. *promiſi vltorem*, ſupple fore; Terent. *ne dicas, tibi non prædictum*, i. fuiſſe. Væ particulam inepte iungunt datiuo Grammatiſtæ: nam ſubauditur verbum *eſt*, vt, ſi dicas, *malum tibi*. Plaut. Caſ. *Væ tibi: ſt! imo iſtud tibi erit;* in Sacris, prouerb. Cap. XIV. *Cui væ? cuius patri væ? cui fouea?* 1 Cor. VIII *Væ mihi eſt, ſi non euangelizauero;* Iobi X. *Et ſi impius fuero, væ mihi eſt.* Liu. V. *Auditaque in toleranda Romanis vox, væ victis eſſe.* S.

Expetere.

In illo Horatii I. Ep. V. 12. Fortunas legendum ſ. fortunæ quod volunt Muretus & Lamb. ad

h. l. aut turbatur metrum. Si vero cum Schreuelio fortuna ſexto caſu retineas, inciſum ſit poſt mihi, non poſt, fortuna: quod tamen hoc modo primo caſu ad priorem partem pertineret: quo mihi, fortuna ſi non conceditur vti? ſimplicius tamen quartum caſum pluralis legeris cum Mureto, cuius mutatio fere orta eſt ex primæ ſequentis verbi literæ ſoni æquali.

Facere.

Subaudi in verbis ſecundæ & tertiæ perſonæ ſubiunctiui. vt; *Nil mihi reſcribas*; nam deeſt, *moneo*, vel *fac*, vel *volo*. Plaut. Merc. *iſtos ratros villico piſto ipſi facito; coram vt tradas in manum; vxori facito vt nunties*; Ouid. *Lac facitote bibat*; Sic Terent. Hecyr. *puer vt ſaturetur, facito*; id. Adelph. *Bono animo fac ſis Soſtrata, & iſtam, quod potes, fac conſolere*; Plancus ap. Cic. *Fac valeas, meque mutuo diligas*; Cic. Fam. IX. Dolabellae: *fac vt diligentiſſime te ipſum, mi Dolabella, cuſtodias*; Plaut. Ciſt. *Facito vt facias ſtultitiam ſepelibilem*; Plin. I. Epiſt. *ſtudes? an piſcaris? an venaris? an ſimul omnia?* i. facis; Quinctil. *nil aliud* ſcil. faciet, *quam renuet*; it. Martial. *Dii me-*

melius, dii meliora, ſcil. faciant, ſ. ferant. Tibull. *di meliora ferant, nec ſint inſomnia vera*; Liu. *Et illa nocte nil,* ſcil. factum eſt, *præterquam vigilatum eſt*; Cic. de amicitia pr. *quoad poſſum & mihi licet,* adde: *facere*; Hor. L. I. Sat. IV. *non recito cuiquam, niſi amicis, idque coactus,* ſcil. facio; Terent. Andr. IV. Sc. I. 39. *Davos omnia fecit.* S.

In eo tempore intelligitur, in quo ponitur ſequens. Suet. in Cæſ. c. 20. Tacit. Hiſt. II. 91. Florus III. 23. it. I. 10. *Ardentibus focis iniicit manum, vt ſcias, inquit, quem virum effugeris*; plene: *hoc facio, vt ſcias.* P.

Adde etiam in, *ad rem*; Terent. Eunuch. Act. I. Sc. II. 15. Adelph. V. III. 48. *ad rem,* ſcil. faciendam. G.

Fieri.

Solet, poteſt, imperſonaliter poſita produnt infinitum *fieri*, e. gr. Salluſt. c. XV. *Scaurus veritus, quod in tali re ſolet,* ſcil. fieri; Plaut. Epid. I. I. 5. *quod conſolet,* ſcil. fieri; Cic. Philipp. XIII. *fieri poteſt, vt fallar*;

Petron. c. 49. *Solet fieri;* Cic. pro Balbo c. III. *Eſt aliquid, quod non oporteat, etiamſi licet: quidquid vero non licet, certe non oportet*, ſc. fieri ſ. facere; Marcell. XXX. 8. *Sunt aliqua, quae fieri non oportet, etiam ſi licet.*

Fvrari.

Hoc ſupplet Terentii locum Andr. IV. I, 21. *Cur meam tibi?* ſcil. furatus es.

Gerere.

Suppleri poteſt Cic. pro L. Manil. cap. X. *reſtat, vt de imperatore ad id bellum*, ſcil. gerendum, *deligendo dicam*; confer. Cic. Fam. XII. Ep. 21. *Nos cum Antonio bellum gerimus*; Virg. Aen. I. 47. *Vna cum gente tot annos bella gero.*

Habere.

Deeſt Nep. in Milt. I. 3. *Populus ei prouinciam Numidiam iuſſit*, ſcil. habere.

Implorare.

Deum atque hominum fidem, deeſt, imploro. S.

Sc. vel obſecro, vel nuncupo.

Cic. *ille implorare Deum atque hominum fidem*; Terent. *proh! Dii immortales, obſecro veſtram fidem*; Liu. III. *Omnes Deum*

Deum hominumque implorabimus fi. dem. Sc.

Pacuu. *Ægiſthi fidem nuncupantes concie. bant populum.* Sc.

INQVAM.

In narratione æque omiſſum videmus, ac expreſſum. Phædr. I. F. I. 5. *Cur, inquit, turbulentam feciſti mihi;* v. 6. *Laniger contra timens, qui poſſum, quaeſo facere,* cet. L. I. Fab. III. 12. *Tum quidam ex illis, quos prius deſpexerat;* F. IX. 8. *Lepus ſemianimus mortis in ſolatio,* ſc. inquit.

INTERESSE.

Tertia præſentis omiſſa Terent. Heaut. IV. iv. 46. *quid mea?* Cic. contra Fam. XVI. Ep. 6. *Et quum tua & mea maxime intereſt,* cet.

INTERROGARE.

ROGARE.

Narrantium & diſputantium eſt. Nep. XXV. xx. 1. *numquam ad ſuorum quemquam literas miſit, quin Attico mitteret:* (& interrogaret) *quid ageret;* Curt. IV. II. 16. *quæ ſaxa tam vaſta, quastam proceras arbores poſſe reperiri?* ſcil. interrogabat; Cic. IV. Fam. Ep. 8. *Si enim libertatem ſequimur;*

mur; (interrogo vel rogo te) *qui locus hoc dominatu vacat?*

IRE.

Cic. ad Mar. Fam. *Cum Libone tuo, vel potius noſtro in Pompeianum ſtatim cogito*: id. Attic. *Inde ad Taurum cogitabam, vt cum Mophagone, ſignis collatis, ſi poſſem.* ſcil. irem; id. Attic. *Rhodum volo puerorum cauſſa, inde quamprimum Athenas.*

Virgil. Aen. I. 204. *per tot diſcrimina rerum tendimus in Latium,* ſcil. ire. S.

LAVDARE.

Inſeruiat hoc Cic. Fam. II. Ep. 10. *Hiccine eſt ille, qui vrbem? quem ſenatus,* i. laudauit.

LOQVI.

Terent. Andr. I. II. 30. *Bona verba quaeſo*, i. loquere.

METVO.

Perſ. Sat. I. *quare ne mihi Polydamas & Troades Labeonem praetulerint,* ſcil. metuo; Horat. I. Carm. *Terruit gentes, graue ne rediret ſeculum Pyrrhae,* i. e. ita terruit gentes, vt metuerent, ne rediret.

Mr-

Mirari.

Plin. L. II. Ep. 10. *Hominem te patientem vel potius durum ac pæne crudelem*, i. miror, *qui* cet. neque emendatione ſic opus eſt, vt ponas: nominem, pro, hominem; neque exclamatione, O! aliud denuo reſpiciente. Hoc fere modo Cic. plene Attic. X. Ep. 5. *Satis mirari hominis negligentiam non queo*.

Morari.

Supple in formula: *ne multis*, ſcil. morer; Cic. pro Cluent. c. 16. it. in Verr. IV. 46. *ne multis morer*; it. Plin. VII. 49. *ne plurimis moremur in re confeſſa*.

Narrare.

Cic. Attic. L. XII. *Male mehercule de Athamante*; ibid. *male de Scio*, ſupple narras. conf. Attic. L. XVI. *Male mehercule narras de Nepotis filio*; Terent. Eunuch. V. III. 7. *Bene narras, nam illi faueo virgini*. vid. audio.

Novisse.

Terent. Eunuch. III. I. 28. *Dii veſtram fidem, hominem perditum miſerumque, & illum ſacrilegum*, ſupple, noui.

ORARE.

OPTARE PRECARI.

Vt, dicunt, accipi pro, *vtinam*. Terent. Adelph. *Vt Syre tecum tua monſtratione magnus perdat Iupiter*: ſed falluntur, nam deeſt, *oro*, *precor*, *quaeſo*, *velim*. Terent. Andr. *Deos quaeſo*, *vt ſit ſuperſtes*; Ter. Adelph. IV. I. 3. *vtinam ita ſe defatigarit*, *velim*; Cic. II. Catil. *Deos immortales precari*, *venerari atque implorare debetis*, *vt vrbem defendant*; Catull. in Comaam Berenices, *Iupiter*, *vt Chalybum omne genus pereat*; Horat. II. Serm. *Iupiter*, *vt pereat poſitum rubigine ferrum*; Liu. I. *Iupiter pater*, *ſi eſt fas hunc Numam Pompilium* cet. *vt tua ſigna nobis certa acclara ſint*, ſubaudi precor, vel oramus; Plaut. Curcul. *Meliorem*, *quam ego ſum*, *ſuppono tibi*, Ca. *Operam vt det*. Pa. *dabit*. Terent. Phorm. *Id vt coniicerem*; *confeci*; *adfero*; Tibull. *dii meliora ferant*, *nec ſint inſomnia tanti*, *oro vt non ſint*. Virgil. VI. Aen. *Ipſa canas oro*. S.

Plaut. Menech. *Si ego hoc feci*, *omnium miſerorum exopto*, *vt fiam miſerrimus*; Cic. *male mihi ſit*, *ſi vmquam quidquam* &c.

Ne

Ne viuam, ſi; ſolicitat me, ita viuam, valetudo tua; Ne ſim ſaluus, ſi aliter ſcribo, ac ſentio; moriar ſi; moriar, niſi te puto conſuli malle, quam inaurari; Propert. *Atque ita ſim ſaluus, magno contendis Homero:* quæ ſunt elegantes iurandi formulæ. Sc.

PARARE, vel ſimile.

Horat. *Quo mihi fortunam, ſi non conceditur vti?* ſubaudi, paraui. id. *vnde mihi lapidem? vnde ſagittas?* ſupple, inueniam, parabo; Cic. VII. Fam. Ep. 23. Perizonius ſupplet; bonum putas.

Martis vero ſignum quo mihi pacis auctori, ſupple, paraſti, vel emiſti. S.

PATI.

Deeſt Plaut. Amph. III. II. 2. *ita me probri, ſtupri, dedecoris a viro argutam meo?* adde, patiar; Catull. XLII. 7. I. *non eſt ſana puella, nec rogate, qualis ſit, ſolet haec imaginoſum*, ſcil. pati.

POSSE.

Huius finitum requirit nonnumquam infinitiuus eſſe vel fieri. Cic. in Brut. c. 7. *Multum, vt temporibus illis* (fieri poterat) *valuit dicendo;* Liu. XXIV. 28. *vt in tali*

tempore (ſcil. fieri poteſt) id. XXVII. 15. *Diis immortalibus, vt in tali re* (fieri poteſt) *laudes, gratiasque ago.* confer. Ouid. Triſt. I. VII. 7. *Omnia iam fient, fieri quæ poſſe, negabam.*

PRAESTARE.

Nep. in Attic. XV. 2. *Idem in nitendo, quod ſemel admiſiſſet, tanta erat cura, vt non mandatam, ſed ſuam rem videretur agere.* Aut præſtare, aut efficere requirit verbum nitendo.

PRODESSE.

Subintelligitur interroganti Ouidio L. I. ex ponto Ep. V. 67. *quo mihi diuerſum fama contendere in orbem?* ibid. v. 79. *quo tibi, ſi calida poſitus laudere Syene?* addatur: prodeſt?

PVNIRE.

Deeſt Virgil. I. Aen. 139. *quos ego* (ſcil. punirem) *ſed motos præſtat componere fluctus.*

QVAERERE.

Obſeruetur in illa formula, quæ Ciceroni frequens eſt: *de me, de te, de fratre, ſi quæras* cet. quod & recentiores exprimunt, e. g. Muret. L. II. Ep. 10. *de me, ſi quæris,* ve-

vexamur oculorum anniverſario morbo.

Recedere.

Cic. Tuſcul. qu. v. C. 32. *Diogenem illum Alexandro quærenti, quid ſibi a ſe fieri vellet, reſpondiſſe refert: A ſole!* ſubaudi: recede.

Redire.

Quinctil. VIII. 3. *Sed ad propoſitum,* ſupple: redeamus. Gallorum etiam formula, quæ ad noſtrates tranſiit: a propos.

Referre.

Omittitur in vocibus: *mea, tua, ſua,* cet intelligitur, *refert;* Terent. Heaut. IV, IV. 46. *quid mea?* plene idem Adelph. V, IV. 27. *deerit, id mea minime refert.*

Restituere.

Referri poteſt ad illud: *Suum cuique* ſcil. reſtituendum eſt: quemadmodum Phædr. L. III. Fab. XIII. 15. *quapropter apibus fructum reſtituo ſuum.*

Scribere.

Cic. Fam. IV. Ep. 8. *Sed plura, quam ſtatueram.*

tueram, ſcil. ſcribo; it. VII. Epiſt. 25. *Vereor, ne in Catonem*, ſcil. ſcribamus; *Cato in nos*, ſcil. ſcribat.

SENTIRE.

Terent. Andr. IV. I. 22. *Heu! me miſerum*, ſcil. ſentio. Sed & alius verbi ſenſus non fallit, e. gr. *videte*, cet.

SERVARE.

Deeſt Cic. II. Famil. Ep. 10. *Hiccine eſt ille, qui vrbem?* ſcil. ſeruauit.

SOLERE.

Præter *fieri* id quoque ſubintelligi poteſt, Cic. XII. Fam. Ep. 11. *vt in tantis malis*, ſcil. fieri ſolet; Plin. III. Ep. 3. *vt in hac licentia*; Liu. XXVII. 15. *Diis immortalibus, vt in tali re, laudes gratesque ago*; Ter. Andr. I. I. 121. *ita tum diſcedo ab illo, vt, qui ſe filiam neget daturum.*

Plene Salluſt. B. Jugurth. XXV. *Bonum publicum, vt in pleriſque negotiis ſolet priuata gratia deuictum.*

SVMERE.

Locum habet in Iuuen. Sat. XIV. 56. *ſ. vnde tibi frontem libertatemque parentis, (ſumes) quum facias peiora ſenex*: quemadmodum

modum Horat. I. Ep. III. 7. *quis ſibi res geſtas Auguſti ſcribere ſumit.* Nos dicimus: Wie kanſt du dir das Herz nehmen deine Kinder zu beſtraffen, wenn du alter Geck es noch 10. mahl ärger macheſt. Incommodum eſt aliorum placitum: *eſſe putas.*

Tenere.

Iouem lapidem iurare, in adagiis explicat Eraſmus: Syntaxin integrum oſtendit; *lapidem ſilicem tenentem iurare per Iouem.* Verba Feſti ſunt, lapidem ſilicem tenebant iuraturi per Iouem, hæc verba dicentes: *ſi ſciens fallo, tum me dieſpiter.*

Velle.

Ante coniunctionem eleganter omiſſum, e. g. Terent. Andr. III. V. 12. *O! tibi ego vt credam, furcifer?* i. e. vis ne, tibi cet. item Phorm. V. 7. *hem! hiccine, vt a nobis hoc tanti argenti auferat cet.* poſt hem intelligas, vis, ſ. vultisne; ibid. V. VIII. 3. (vis?) *hiccine vt reſpondeat.*

Vendere.

Res mancipi, inquit Perizonius, ita forſan poteſt accipi, vt ſit datiuus cum verbo conſtructus, quaſi: *res, quæ mancipi venditur.* Detractionem τȣ̃ (s) in genitiuis probari

bari exemplis Achilli, Perſi, a Seruio allatis, eſſe enim hos genitiuos ab Achilleus, Perſeus: triplici enim modo veteres græcos & latinos enunciaſſe hæc nomina, ſcil. Perſa, æ; Perſes, is; Perſeus, ſei, vel ſi. Haud facile autem reperiri tales genitiuos tertiæ declinationis in nominibus appellatiuis, quale ſit, frugi. Et, ſi reperiantur, eorum illa eſſe nomina, quæ ſimul tertiam & quintam declinationem admittant, e. gr. plebs & plebes, vnde tribunus plebei. ſæpe autem frugi ita abſolute adhiberi, quaſi eſſet adiectiuum, vnde crediderint quidam, eſſe indeclinabile, Plaut. Aſin. Act. V. Sc. II. v. 7.

Venire.

Nominatiuus interiectionis *Ecce* ſatis commode hinc deriuatur, vti in illo Pilati, Joh. XIX. qui de JEſu ab ſe dimiſſo exclamat: *ecce! homo.* Populo iudex iſte ſic reſpondet, qui JEſum in ædibus ipſius diutius commorantem ad ſupplicium tandem produci urgebant. Quare Pilatus gratiam populi initurus iam prodeuntem ſic ſignificat: *Ecce! homo.* ſc. venit. Nos dicimus: Seht! iezo kommt er.

Phaedr. L. IV F. XXIV. 14. ***Ad cœnam mihi promitte,*** ſcil. venire.

Vereri.

Terent. in Andr. I. V. 2. ſ. *Haud vereor, ſi in te ſolo ſit ſitum: ſed vim*, i. vereor, vt queas ferre.

Videre.

Datur huius Ellipſis Terent. Heaut. III. III. 3. *Hisce oculis,* ſc. vidi, *ne nega!* it. in interiectionibus cum quarti caſus nominibus poſitis, vid. ſentio, adſpicio.

CAP. III.

De Ellipſibus particularum.

OBſ. Præpoſitionum Ellipſib. duabus regulis continetur 1) nullus non ablatiuus a præpoſitione pendet; 2) Accuſatiuus, qui nec ſit infinitiui ſuppoſitum, nec actiuorum oppoſitum a præpoſitione pendet. S.

A. Ab.

Deeſt ſæpiſſime in nominibus vrbium, inſularum, prouinciarum & locorum, e. gr. *Venio Roma, Aegypto, Cypro, rure, domo, agro.* Cic. I. Acad. *Veniſſe ab Roma;* Liu. VIII. *Claſſe qua aduecti ab domo fuerant, multum potuere;* id. L. VI. *accitis ab domo nouis militibus, Fabius cum nouo exercitu ab Roma aduenit;* Plaut. Aulul. *diſcrucior animi, quia ab domo abeundum eſt mihi.*

Deeſt porro, quum ponitur pro poſt. Ouid. IV. Tiſt. X. *nec ſtirps prima fui, genito ſum fratre creatus;* Horat. *poſt ignem ætheria domo ſubductum;* conf. Ouid. II. Me-

Metamorph. *Surgit ab his ſolio*, i. e. poſt hæc; Plaut. pœnal. *iam ab re diuina, credo, adparebunt domi*, Liu. IV. *mœſtæ ciuitati ab re male geſta, Poſtumius reus obiectus.*

Nonnumquam ſubaudiendum in verbis copiæ & inopiæ. Cæſ. III. Ciuil. *Hac a cuſtodibus claſſium loco maxime vacabant*; Cic. V. Attic. *Locus a frumento copioſus*; Virgil. *Culice, viduos a lumine Phœbi.*

It. quum ſignificatur cauſſa efficiens. Plaut. Caſ. *Mihi inanitate inteſtina murmurant*; Catull. *corpora cornu ſicciora, ſole, frigore & eſuritione*; Ter. *Stulto intelligens quid inter eſt*, i. a ſtulto; Horat. *Abeſt virtute deſerti Meſſalæ*; conf. Liu. VII. *linguam ab irriſu exſerens*; Plaut. Ciſt. *doleo ab animo, ab oculis, ab ægritudine*; Cic. Acad. *Mare nunc quia a ſole collucet, albeſcit, & vibrat*; Ouid. I. Metam. *Pluuioque madeſcit ab auſtro.* S.

Ac, Atqve, Et, Qve.

Subauditur in *Hac, illac*; *extra, intra*; *æqui, boni*; *optimus maximus*; *vti frui*; *dare, legare.* S.

Conf. Plaut. Curcul. I. I. 65. *Nil æqui bonique ab eo impetrare queo*; Sall. Catill. 20. *Ceteri*

teri omnes ſtrenui, boni, nobiles atque ignobiles, vulgus ſumus; id. cap. 30. *quibus omnia honeſta atque inhoneſta vendere mos erat;* Tacit. Hiſt. II. 56. *in fas nefasque auidi;* Sall. Catil. 2. *Auaritia ſemper inſatiabilis eſt, neque copia neque inopia minuitur.* P.

Peperit hæc Ellipſis Aſyndeton e.g. Suet. in Cæſ. 37. *Veni, vidi, vici;* Cic. Catil. II. 1. *abiit, exceſſit, euaſit, erupit;* Virgil. Aen. IV. v. 549. *ferte citi flammas, date vela, impellite remos.* Plenioris ſtili exempla qui deſiderat, conferat rhetorum figuram polyſyndeton.

Deſideratur etiam *Ac* vel *Atque* in *Simul.* Ouid. Metam. III. *quæ ſimul adſpexit, liquefacta rurſus in vnda;* Virg. Ecl. IV. 26. *At ſimul illorum laudes & fortia facta;* Hor. I. Od. IX. 9. *quæ ſimul ſtrauere ventoſos æquore feruido;* Catull. de Nupt. Pel. & Thet. Carm. LXV. v. 31. *quæ ſimul optatæ finito tempore luces Aduenere;* Cic. III. Att. *Et ſimul a Cæſare ei literæ remiſſæ eſſent.* Aliter Cic. in Verr. I. 10. *Simul ac tetigit prouinciam;* Nep. XVII. II. 1. *Hic ſimul atque imperii potitus eſt.* Et ſic alibi. G.

AD.

Ad.

Subintelligendum in nominibus vrbium, prouinciarum & inſularum cet. Nam Liu. L. V. Decad. *Veios* dicit, pro, *ad veios*. Virg. *Italiam fato profugus, Lauinaque venit littora*; id. *At nos hinc alii ſitientes ibimus Afros, pars Scythiam & rapidam Cretæ veniemus oaxem, & penitus toto diuiſos orbe Britannos*; id. *Aeoliam venit loca fœta furentibus auſtris*; id. Aen. VI. *Deuenere locos lætos & amœna vireta Fortunatorum nemorum, ſedesque beatas*; ibid. *Hac iter Elyſium nobis*; ibid. *Hæc limina tendere adegit.* Cic. pro Leg. Man. *Inde Sardiniam cum claſſe venit*; id. pro Muren. *qua ex pugna quum ſe illa eripuiſſet & Boſphorum confugiſſet*; Suet. in Aug. c. XVII. *Ab Actio quum Samum inſulam in hiberna ſe recepiſſet*: Val. Max. L. V. c. vlt. *Epirum portanda dedit*; Iuſtin. L. XX. *Ægyptum primo profectus Cretam contenderat.* S.

Plaut. Stich. *Iam per hortum amicam tranſibo meam.* Sc.

Tacit. Annal. I. 13. 6. *Haterius quum ambulantis Tiberii genua aduolueretur*;

M 2 Ouid.

Ouid. Metam. III. *Verba refers aures non peruenientia noſtras.* Contra Cic. plene de Seneƈt. *Miles profeƈtus ſum ad Capuam, quintoque anno poſt ad Tarentum quæſtor*; Propert. L. III. *Magnum iter ad doƈtas proficiſci cogor Athenas.* G.

Cic. Fam. III. Ep. 6. *Si ad Sidam nauigaſſem*; ibid. L. IX. Ep. 16. *nolo te ad Baias venire*; Cic. verr. III. *ad eam domum, in qua ipſe diuerſabatur, profeƈti ſunt*; Apul. L. VIII. *Ac ille nouitium ſuſceptum famulum trahebat ad domum.* P.

In accuſatiuo temporis itidem nonnunquam ſubintelligitur. Plaut. Amph. *Qui hoc noƈtis ſolus ambulem*; id. Aſin. *Ad hoc diei tempus dormitaſti in otio: non pudet hominem id ætatis ſycophantias ſtruere*; Cic. *Venit ad me id temporis, vt retinendus eſſet.* Sc.

In diſtantia Varr. L. III. c. 5. Ruſt. *Eſt lapis a ſalere pedem & dodrantem altus, ipſum ſalere ad duo pedes altum a ſtagno, latum ad quinque.* S.

In particula VSQVE. Sextus Ruffus Hiſt. Rom. de regno regum: *Non amplius, quam vsque portum atque oſtiam*; Iuſtin. L. V.

c. XI.

c. XI. II. *Virtute ſe vsque terminos patriæ defenderunt.* Nam plenius Plaut. Menæch. I. II. 60. *inde vsque ad diurnam ſtellam;* Ter. Eunuch. IV. III. 18. *Verberibus cæſum te in priſtinum, Daue, dedam vsque ad necem;* Horat. I. Sat. III. 6. *Si collibuiſſet, ab ouo vsque ad mala citaret.* G.

AEQVE.

In Comparationibus parium ſubauditur. Plaut. in Bacchid. *Quem amicum ratus ſum, atque ipſus ſum mihi.* S.

Catull. *Cur non piſtrino traditur, atq; aſinus?* In Priapeis: *quæ ſucco caret, atque petra pumex;* Lucil. *Calidiſſima & oleorum bene plena, atque anſeris collus;* id. *an ego te, equam atque animoſam, Theſſalam & indomitam, frenis ſubigamque domemque.* Sc.

Sic intelligitur etiam in ea propoſitione, quum initio ſequentis propoſitionis eſt, quam Plaut. V. Menæch. 6. *cogitatque vt abſente hero rem heri* (æque) *diligenter tuetur, quam ſi ipse adſit;* Caſſius XII. Fam. Ep. 13. *Neque omnium iudicio malim me a te commendari, quam ipse iudicio digne, ac mereor, commendatus eſſe.* G.

AH.

Tacetur Terent. Andr. V III. II. *Me miſerum!* Cic. VII. Attic. Ep. 24. *rem miſeram!* id. X. Attic. Ep. II. *me cæcum, qui hæc ante non viderim.*

Exprimitur Cic. de Orat. II. 70. *ah! patres conſcripti, non ego mihi illum iniquum eiero*; Virgil. Ecl. I. 15. *capella gemellos Ah! ſilice in nuda connixa reliquit*; Ter. Andr. III. I. 12. *Ah vix tandem ſenſi ſtolidus.*

AN.

Legitur in formulis dubitandi ſequente *an* itemque *nec.* Cic. Catil. II. 6. *quærim, an in nocturno conuentu apud Leccam fuiſſet, nec ne* Id. in Bruto c. 25. *Retulit paucis, antequam mortuus eſt, an diebus, an menſibus*; id. Attic. II. Ep. 6. *an hic, an Antii conſiſtam.*

Intelligitur ap. Cic. Fam. II. Ep. 17. *Parthi tranſierint, nec ne, præter te dubitare video neminem*; id. de Offic I. 3. *Tum inquirunt, conducat id, nec ne*; Terent. Heaut I. 1. 43. *Filium nunc habeam, nec ne, incertum eſt*; Cic. in Verr. c. 77. *poſtulo, mihi reſpondeas, quis ſit iſte Verrutius; Mercator, an arator, an pecuarius? in Sicilia ſit an deceſſerit*, priori exemplorum parti præmittas: AN. AN-

ANTE.

In tempore, ſi ſit accuſatiuus, deeſt. e. gr. *Centum vexit annos; quarto Calendas*; Plaut. Bacchid. *Meretricem ſibi condixit hunc annum.*

CIRCA, CIRCVM.

Supplendum in accuſatiuo temporis. Plaut. in Amphitr. *qui hoc noctis ſolus ambulem*; pro, *circa hoc tempus noctis.*

In Compoſitis ſuis. Ouid. Metam. XV. 522. *Rota perpetuam quæ circumvertitur axem*; Phædr. IV. V. 3. *Artus circum trepidarent canes*; Virg. Aen. VI. 866. *Sed nox atra caput triſti circumuolat vmbra*; Horat. II. Sat. I. 58. *Seu me mors atris circumuolat alis*; Vellej. II. 27. *Circumuolans ordines exercitus ſui Teleſinus*; Ouid. Metam. VIII. 567. *Iam ſparſus tempora canis*; Horat. II. Od. VII. 7. *Coronatus nitentes capillos.*

CVM.

Deo duce; *Muſis fauentibus*, ſubaudi, *cum*. confer. Plaut. Perſ. *Sequere hac, mea gnata, cum diis volentibus*; Liu. L. I. dec. 3. *agite cum diis bene iuuantibus*; Ennius ap. Cic. *doque volentibus cum magnis diis*; Cato c. 14. Ruſt. *Circumagi cum diis volentibus*

Deeſt porro in inſtrumento ſignificando, vitandæ ambiguitatis gratia: quum enim dicis; *Tetigi illum cum haſta*, neſcitur, an illum & haſtam tetigeris, an vero inſtrumentum ſignifices: ſed vbi dubia non eſt oratio, venuſte adponitur, vt: *vidi gladium, cum quo ſe percuſſit.* Ouid 4. Faſt. *Hoc modo verrebat raro cum pectine pratum.* S.

Liu. IX. *Legatis miſſis ad pacem cum precibus petendam, triſte reſponſum a conſule redditur*; Epitom. Liu. 81. *Athenas cum maximo labore expugnauit.* Sc.

Plin. L. IX. c. 28. Ceteri Cirri, cum quibus venantur; Paul Oroſ. L. 7. Ipſe imperator cum ſagitta ſaucius. Et quid elegantius, quam illud non incelebris auctoris: *gladium, qui cum ſe percuſſerat, eduxit.* Lucil. *Acribus inter ſe cum armis confligere cernit*; Catull. *Iſta cum lingua lingere carbatina.* S.

Quum modum ſignificamus, deeſt nonnumquam, *cum*. Terent. Eunuch. *pace quod fiat tua.* confer. Lucanus L. I. *aut hic erat nulla cum lege mundus*; Sall. de Rep. *multi præterea cum bona ſpe adoleſcentes, ſicuti hoſtiæ mactati ſunt.* S.

Cæcil. *quid narras barbare cum indomitis*

mo-

moribus? Ennius: *Optima cum pulchris animis animis Romana iuuentus.* Plaut. Pœn. *Cognoſco , cum quibus ingeniis ſimus;* id. Trin. *amicus probus & cum magna fide;* & in Rud. *cum iſtiusmodi virtutibus & operis qui natus ſit.* Sc.

Id. Menech. *Magna cum cura ego illum curari volo;* item in formulis: *adficio te honore; proſequor te odio;* ſubaudi, *cum*, Sic Liu. L. IX. Dec. 4. *proſecuti cum donis legatos ſunt;* id. L. II. Dec. I. *decedentem domum cum fauore ac laudibus proſecuti ſunt;* Cic. Q. Fr. I. II. *publicani Domitium cum equis proſecuti ſunt.* S.

A Cæſare plurimum omitti præpoſitionem, Perizonius obſeruat. e. g. de B. G. II. 19. *Præmiſſo equitatu, ſubſequebatur omnibus copiis;* ibid. *Subito omnibus copiis auxilio Neruiis venirent.* In compoſitis etiam hæc particula eſt ſupplenda, e. g. Cic. de fato c. 13. G.

De.

Deeſt interdum in nominibus vrbium, inſularum, prouinciarum, locorum e. g. Suet. in Aug. *decedens Macedonia;* Val. Max. I. c. 6. *pœnorum exercitum italia pelleret.* S.

Plaut. Merc. *redii exſilio*; aliter Martial. L. XIII. *Hæc de vitifera veniſſe picata Vienna*; Apulei. L. IV. *Nam viſa ſum mihi de domo, de thalamo, de cubiculo, de thoro denique ipſo violenter detracta.* Sc.

Item in verbis copiæ & inopiæ, quod videmus Cic. *de quibus volumina impleta ſunt*; id. *de nugis referti libri*; Martial. *Hos niſi de flaua loculos implere moneta, Non decet.*

Sic quum ſignificatur modus. Virg. *Cæſis prius de more iuuencis.*

Si tempus ſit in ſexto caſu. Cæſ. *de tertia Vigilia*; it. Cic. *de amicorum ſententia Roſcius Romam confugit*; id. *Idque de meo conſilio*; id. *Flere de morte alicuius.* S.

Sic ſupplendum eſt Liu. L. XXXVII. c. 54. *ne decederetis inſtituto veſtro*; Cæſ. B. G. I. VIII. 4. *Heluetii ea ſpe deiecti hoc conatu deſtiterunt*; Plaut. Mil. III. I. 142. *nunc iam iſtis rebus deſciſci decet.* G.

E, vel Ex.

Ad Ellipſin pertinere, intelligitur Virgil. *cunctis ex more vocatis*; Cic. *Collocare aliquid ex ordine*; *ſententiæ ex ordine dictæ*; Plaut. Rud. *reſponde ex ordine.* S.

In

In cauſa efficiente. Plaut. Stich. Act. I. Sc. III. *Nam Miccotrogus nomine ex vero vocor*; *Sic*. Plaut. Caſ. *Mihi inanitate inteſtina murmurant*. conf. Plaut. Capt. *Satis dolui ex animo*; Terent. Andr. *Laborat e dolore*. Sc.

Obſeruandum hic Criticorum: *dicto audientem eſſe* alicui, e gr. Cic. Verr. IV. 12. it. I. 44. *Reſpondit id, quod neceſſe erat*, ſcil. dicto audientem fuiſſe prætori. Ad hyphen hoc referunt, qua non habeatur caſus ratio, quia ſit inconueniens tertius caſus. Sed omnino ratio caſus, quam diu fieri poteſt, habenda erat, niſi ſolœciſmum recipere malimus. Quid vero ablatiuum eſſe vetat, omiſſa præpoſitione Ex. Cellarius ad Nep. XVII. IV. 2. alteri voci, iuſſis, addi vult, in, dicto pro tertio caſu habens. Sed ſextus clare patet Cic. L. II. de diuin. 13. *Iſtæ imagines & a nobis dicto audientes ſunt, vt ſimulatque velimus*; id. Verr. VII. VIII. 4. *quorum ſociorum opera Syracuſani nobis dicto audientes eſſe iuſſiſti*. Cum tertio quidem caſu Apulei. Apol. 2. p. 208. *Falſum facere tentanti ne auſcultarent, ſibi potius audirent*: Sed habeat ſibi datiuum ſuum ſcriptor non optimæ notæ.

Abla-

Ablatiui denique cauſſa eſt hæc ellipſis in verbis compoſitis ſuis. Virgil. Aeneid. I. 246. *Antenor mediis elapſus Achiuis*; Cæſ. B.G. V. xxxvi. 3. *ſi videatur, pugna vt excedant*; Cic. Phil. II. 6. *Exire aero alieno*; Cic. IV. Fam. Ep. I. *Ne aut tibi exire ex vrbe neceſſe ſit*; id. de Offic. I. 43. *excedere vita*; Terent. Andr. I. I. 24. *poſtquam exceſſit ex ephebis*; Ouid. Met. II. 228. *quæ ſi non tenuit, magnis tamen excidit auſis*; Liu. xxvii. 3. *Res Tarentinæ quidem arcis excidit memoria*; Cic. de Nat. D. II. 56. *Deus homines humo excitatos celſos ac erectos conſtituit*; id. Fam. xvi. Ep. 14. *excita ex ſomno tuas literas*; Hor. I. Sat. I. 11. *Rure extractus in vrbem*.

Deeſt etiam vbi ſignificat, nach, ſecundum. Cic. pro Leg. Manil. c. x. *Quare hoc bellum eſſet genere ipſo neceſſarium, magnitudine periculoſum*. G.

Etiam.

Huius particulæ defectum ad Hellenolexiam refert Vechnerus p. m. 85. Cic. III. Tuſc. *quæ dies ita mitigat, vt iisdem malis manentibus, non modo leniatur ægritudo, ſed in plerisque tollatur*; id. Fam. XIII. Ep. 24. *Non ſolum quia me libenter audi-*

re

re arbitrabatur, ſed quia libentius ipse loquebatur; it. Fam. I. Ep. 6. *Omnibus negotiis non interfuit ſolum, ſed præfuit;* id. de Nat. Deor. c. 35. *Non digito redundat, ſed capite, collo,* Poſt SED ſubaudi: etiam; *Non ſolum elegans ſed facetus.*

EXTRA.

Subaudiendum in compoſitis. Vellei. L. I. c. 9. *Paulli triumphos priores exceſſit;* id. L. II. c. 40. *Pompeius per omnia fortunam hominis egreſſus;* Tacit. Annal. I. 30. §. 2. *vt non egredi tentoria poſſent.*

IGITVR.

itaque, ergo.

Ouid. *Hunc quoque ſiderea, qui temperat omnia luce, cepit amor ſolem: ſolis referamus amorem,* i. e. ſolis igitur. Terent. *Hac non ſucceſſit; alia adgrediemur via.* S.

IN.

Hæc quoque præpoſitio in nominibus vrbium, inſularum, prouinciarum cet. ſæpe deeſt: ſed & addita legitur Martial. *Tibur in Herculeum migrauit nigra Lycoris;* Terent. in Phorm. *iter illi in Lemnum vt eſſet;* Cic. Tuſc. *quum in ſua rura venerint;* Liu.

Liu. L. IX. dec. 4. *Iam vbi vos dilapſi domos & in rura veſtra eritis*; Cic. Verr. 7. *In Chelidonis domum præturam tuam contuliſti*; id. parad. 3. *In quamcunque domum ſtuprum intulerint.*

Sic exprimitur, vbi alioquin ablatiuum abſolutum eſſe dicunt, e. gr. Terent. *in cognoſcendo tute ipſe aderis*; id. *in denegando queis eſt pudor.* S.

Plaut. Menech. *ego hic in lamentando pereo*; Varr. 3. Ruſt. *in ſupponendo oua obſeruat, vt ſint numero imparia*; Plaut. Trin. *in re perdita, quam in re ſalua factus es frugalior*; Cic. Attic. L. 12. *Hinc ego in multo ſermone epiſtolam Cæsaris oſtendi*; Ouid. II. Metam. *mens antiqua tamen facta quoque manſit in vrſa*; Lucan. L. 2. *toto quamuis in corpore cæſo.* Sc.

Contra paſſim: *ſolis occaſu*; *ſereno*; *ludis, munere, comitiis, cenſu*; *nuptiis*; Cic. Fam. II. 7. *paucis diebus eram miſſurus,* id. VI. 4. *quanto fuerim dolore*; Nep. in Eum. *Credens minore ſe inuidia fore.* P.

Deeſt, vbi de modo ſermo eſt. Nam plene Cic. de Senect. *Neque vero in armis præſtan-*

ſtantior, quam in toga; Virg. *Horridus in ioculis*; id. *pugnataque in ordine bella fecerat.* S.

Idem obſeruandnm in tempore, ſi ſit accuſatiuus. Horat. *quid in vnum viuat & plures*; id. 2. Epiſt. *Sed in longum tamen æuum manserunt.*

Item ſi tempus ſit in ſexto caſu. Cic. in Top. *Si filius natus eſſet in decem menſibus*; Terent. Andr. *in diebus paucis, quibus hæc acta ſunt.*

Plaut. Pſeud. *In hoc triduo euoluam tibi hoc argentum*; & Trucul. *ego faxo me in diebus pauculis crudum virum eſſe dicat.* Sc.

In ſexto caſu exceſſus vel modi. Cic. 4. Acad. *Democritus huic in hoc ſimilis, vberior in ceteris*; id. pro Balbo, *in quo erat accuſatoris interpretatio indigna reſponſione*; Cic. 3. Tuſcul. *qui miser in campis mœrens errabat Aleis*; Ter. Eunuch. *Haud conuenit vna ire cum amica imperatorem in via*; id. Heaut. *qui nuper fecit ſeruo currenti in via deceſſe populum*; Lucan. I. *Rarus & antiquis ha-*

bi-

bitator in vrbibus errat; Virg. *& victis dominabitur Argis*, i. in Argis. S.

MAGIS.

Plaut. *Tacita ſemper bona eſt mulier, quam loquens*, i. e. magis bona; Liu. 3. *Claudii oratio fuit precibus, quam iurgio ſimilis.*

In Sacris: *Bonum eſt confidere in domino, quam in principibus*; Tacit. 4. Annal. *Agrippa claris maioribus quam virtutibus*; id. I. Annal. *Et pacem quam bellum probabam*. S.

Nepot. in Datam. VIII. 1. *ſtatuit congredi, quam cum tantis copiis refugere*; Pomp. Mela III. 10. *quos ſerpere, quam ingredi, referunt*; Tacit. Ann. II. 5. *Tanto plura tribui par fuiſſe, quando prima ſors negauiſſet*; Plin. pan. 73. *nam quanto magis a te reprimebatur noſtrum gaudium*; Curt. III. XII. 16. *libertatis in admonendo eo non alius*; ſcil. magis, *ius habebat, quod tamen ita vſurpabat, vt magis a rege permiſſum, quam vindicatum ab eo videretur.*

NE.

Caue cadas; *caue faxis*, ſupple, *ne*. Cic. *nonne*

Nonne caueam, ne ſcelus faciam. Plaut. *Tu caue, quadraginta accepiſſe hinc ne neges;* Terent. *Etiam caues, ne videat te aliquis.* vid. Vt. S.

Sequente An & Nec ne. Terent. Heaut. IV. 1. *proſit,* ſcil. ne, *(an) obſit, nihil vident;* Plin. L. II. Ep. 8. *Studes?* (ne) *an piſcaris? an venaris? an ſimul omnia?* Liu. VI. VII. 3. *Hoſtem,* ſupple, ne; *an me, an vos ignoratis?* Additur Cic. de Offiic. I. 3. *Honeſtum ne factu ſit, an turpe, dubitant;* Plaut. III. Capt. V. 55. *Emitteres ne, nec ne eum ſeruum manu;* Cic. de Orat. c. 61. *Quæſitum eſt, in toto ne circuitu orationis, an in principiis ſolum; an in extremis; an in vtraque parte numerus tenendus ſit?*.

Præcedente, *Vereor.* Terent. Andr. I. IV. 7. *vereor, quid ſiet:* pro, ne quid ſiet, ich ſorge nur, es giebt was. G.

Nempe, Nimirum.

Latini, vt & Germani in explicatione haud raro omittunt, e. g. Cic. de Iuuent. L. II. c. 56. *Vtilitatis duæ partes videntur eſſe:* (nimirum) *incolumitas & potentia;* id. l. c. c. 53. *Virtus habet partes quatuor:*

(nempe) *prudentiam, iuſtitiam, fortitudinem, temperantiam;* id. pro Roſc. Amer. c. 12. *Hominem longe audaciſſimum nuper habuimus in ciuitate,* (nempe) *Caium Fimbriam.*

Expreſſit idem in Verr. II. c. 51. *Iſte homo & peracutus, optime inquit, nempe ſcriptum ita eſt;* id. pro Roſc. Amer. *Opinor eſſe in lege, quam ad diem proſcriptiones venditionesque fiant, nimirum ad Cal. Iunias.*

Neqve.

Neque Cicero hoc mihi perſuaderet, ſubaudi, neque quisquam alius. Nam vt in pro Scauro ait Aſconius; neque eſt coniunctio disjunctiua, & ſemper poſtulat, vt rurſus inferatur, vt: *neque hoc, neque illud;* addit mox. *Neque ignoro, aliquando* hoc verbum vt vel, ſemel poni. Cic. pro Scauro: *Ac neque Aquilius illius Craſſi factum potuit imitari;* vbi ſubauditur, neque quisquam alius. vide, Vel, Sc.

Non.

Poſt, non modo, non ſolum, non tantum dum oratio dubia non ſit, ſequente negatiua.

tiua, *ſed ne,* deeſt, *non,* vt Cic. I. Catil. VI. *Iam iſta non modo homines, ſed ne pecudes quidem mihi paſſuræ videantur.* ibid. *Sed ita, vt non modo ciuitas, ſed ne vicini quidem proximi ſentiant;* id. L. X. Attic. Ep. 7. *regnum non modo Romano homini, ſed ne perſæ quidem cuiquam tolerabile;* id. I. Orator. *Neque ſolum inſcientiam meam, ſed ne rerum quidem magnitudinem perſpicit;* & I. Tuſc. *mortuorum non modo vitæ commodis, ſed ne vita quidem ipſa quisquam caret.* Latius hæc Muretus L. X. c. 7. Variar. S.

De his exemplis Perizonius obſeruat, verbum cum ſua negante particula, atque adeo in priori parte intelligi, vt per ellipſin omiſſum, *non modo homines non modo non paſſuri, ſed &c.*

Deeſt item poſt, *dubito, an,* Nep. VIII. I. 1. *dubito, an (non) hunc primum omnium ponam.* G.

Non Solvm.

Quum Ciceroni dormitare interim

Demoſthenis oratio, verum etiam Homerus ipse videatur; ſubaudi, non ſolum; Cic. *Vrget ille quidem, & Philotimus & Cincius, ſed etiam ipse crebro interuiso.* S.

O!

Hæc aut ſimilis interiectio præmittenda nonnunquam, e. g. Cic. VII. Attic. Ep. 24. ſ. 25. *Rem miſeram! malas cauſas ſemper obtinuit, in optima concidit;* Plin. L. X. Ep. 10. *Hominem te patientem, vel potius durum, ac pæne crudelem;* Virgil. Ecl. I. 1. *Tytire, tu patulæ recubans ſub tegmine fagi.*

Præmiſſa habetur Cic. pro Deiot. cap. II. *O! tempora, o! mores;* Id. Phil. III. II. *O! præclarum cuſtodem ouium, vt aiunt, lupum;* Ter. Eun. II. III. 5. *O! faciem pulchram.* S.

Ob, Propter.

Virgil. *Me discedere, fleuit.* ſubaudi, *ob vel propter.* Plaut. *Mæſtus eſt, ſe has ædes vendidiſſe; Aegrotus eſt, te videre;* Terent. *Define Deos obtundere gratulando, inuentam eſſe gnatam tuam,* i. e. *propter inuentionem filiæ;* Liu. XXIX. *Ciuita-*

tatem religio inuaſit propter crebrius eo anno de cælo lapidatum. Sc.

Sic Gell. IX. 3. *Quod ego Diis gratiam habeo;* Cic. Fam. II. Ep. 10. *Mi Rufe, vigila! primum, vt mihi ſuccedatur: ſin id erit ſpiſſius; illud*, ſc. ob illud vigila; Ter. Hec. IV. 2. *Tibi me eſſe ſuſpectam propter meos mores.* P.

In quarto caſu cum verbis neutris quibusdam. Nep. in Hannib. cap. I. *quod nemo dubitat;* Cic. I. Fam. Ep. 15. *illud non dubito;* Plaut. Perſ. II. I. 9. *id tuus ſcatet animus;* Ter Eun. II. III. 31. *Id ego aduemiens mecum ſtomachabar modo;* id. Andr. II. II. 3. *Lætus eſt, neſcio quid;* Cic. in Catil. II. 6. *quæſiuit, quid dubitaret proficiſci;* Terent. prol. Heaut. v. 3. *id primum dicam, deinde quod veni, eloquar.* vid. Theſaur. Erudit. ſchol. T. II. f. 389. Sed neceſſitatem huius ſupplementi in dubito, non video: quia nos quoque abſolute dicimus: Was zweifelſt du? G.

Per.

In tempore ſi ſit accuſatiuus, etiam deeſt *Per*, vt: *Centum vixit annos.* S.

Salluſt. Jugurth. 63. *Natus atque omnem pueritiam Arpini altus*; Nep in Miltiad. c. 7. *Cherſoneſi omnes illos, quos habitarat annos*; Cic. de Offic. I. 1. *Te iam annum audientem Cratippum.* Confer. Cic *Hunc per decem annos alujmus contra nos.* Hæc docet Priſcianus L. XVIII. Fallitur igitur Eraſmus in Cop. rer. & verb. c. 150.

Item in diſtantia. *Sex pedes altus; patet vlnas quatuor.* Conf. Lactantius de phœnice: *per bis ſex vlnas eminet ille locus.* P.

Post.

Liuius: *Quadringenteſimo anno, quam vrbs Roma condita erat:* i. e. poſtquam. it. *anno triceſimo altero, quam Roma condita erat*; id. *altera die, quam a Brunduſio ſoluit*; Cic. Terent. *poſtridie intellexi, quam a vobis diſceſſi.* S.

Liuius: *Is duodecimo die, quam conſcenderat nauem Phalaram tenuit.* Sc.

Potivs, Privs.

Sæpe deeſt particula *Prius* ante vocem *quam*, itemque *potius.* Plaut. Men. V. I. 26. *quin vidua viuam, quam tuos mores perferam?*

ram; Gell. Noct. II. 2. *declinanda ſenſim, quam reſpuenda;* Terent. Eun. *omnia experiri, quam armis ſapientem decet,* cet. Sed ibi legitur nunc: *omnia prius.* Plaut. Amph. *Grauidam ego illam hic reliqui, quam ab eo,* cet. id. Trinum. *Confit cito, quam ſi tu obiicias formicis papauerem,* vid. Magis.

Confer. Caeſ. B. C. L. III. *ſtatuerat enim hos prius iudicio populi debere reſtitui, quam ſuo beneficio videri receptos;* Cic. Attic. IV. Ep. I. *nihil prius mihi faciendum, quam vt tibi gratularer,*

Deeſt aliquando etiam *Aliter.* Suet. in Galba c. 8. *numquam iter ingreſſus, quam vt ſecum ferret.* S.

PRAE.

Subauditur in Ablatiuis comparatiuorum, pleonaſtice tamen: quia iam in comparatiuis ipſis ineſt ſuperlatio quaedam, quod Perizonius obſeruat contra Sanctium, qui vim comparationis omnem putat eſſe a praepoſitione. Sed praepoſitio repetita inſeruit potius nexui faciendo nominum cum verbis.

Plaut. Aulul. *Iam minoris omnia facio, praequam quibus modis me ludificatus eſt;*

eſt; Salluſt. *Ceterum ante hos, te, Iugurtha, qui ætate & ſapientia prior es;* Virgil. I. Aen. *Pygmalion ſcelere ante alios immanior omnes;* Plaut. Epid. *Atque me minoris factum præ illo.* vbi, inquit Perizonius, per Ellipſin dici poterat: *minoris illo.*

Apulei. L. VIII. Metam. *Neque vlla caprea, neque pauens damula, neque præ ceteris feris mitior cerua, ſed aper immanis atque inuſitatus exſurgit;* ibid. *Sed vnus præ ceteris & animo fortior, & ætate iuuenior, & corpore validior, exſurgit alacer;* id. L. X. *vnus e curia ſenior præ ceteris compertæ fidei;* Soſipater Chariſ. L. I. de compar. *Et confirmat, præ illo neminem eſſe doctiorem;* & infra: *Et habent alios præ ſe doctores;* Daniel. Cap. I. *Adparuerunt vultus eorum meliores & corpulentiores præ omnibus pueris, qui veſcebantur cibo regio.* Sed quid mirum in comparatiuis deeſſe Præ, quæ etiam in poſitiuis & ſuperlatiuis deſit? Arnobius L. II. contra Gent. *Quia omni vero veriſſimum eſt, certoque certiſſimum,* ſubaudi, præ. vid. infra: quam pro.

Pro.

PRO.

Non bene pro toto libertas venditur auro; Lucilius apud Chariſium in plure, *plure foras vendunt, quod pro minore emtum*; Plaut. Aſin. *par pari datum hoſtimentum eſt, opera pro pecunia*; id. Aulul. *Pro vapalando abs te mercedem petam*; Colum. L. V. c. 1. *pro quibus nulla merces dependitur*; Virg. Aen. V. *Hanc tibi Eryx meliorem animam pro morte Daretis perſoluo*; Cæſ. I. Ciuil. *pecuniam pro iis rebus ſoluit*; Cic. IV. Fin. *æſtimatione aliqua digna, eaque pro quantum in quaque ſit ponderis, eſſe æſtimanda*; Salluſt. *Nemo niſi victor pro pace bellum mutauit*; Val. Max. L. IV. c. 6. *qui coniugis fata pro tuis permutari paſſus es*; Terent. Eun. *par pro pari referto*: Sic enim legunt peritiores; Cic. I. in Verr. *pro quo frumento pecunia omnis ſoluta non eſt*. Nec refert latinitatis vtra in parte adhibeatur præpoſitio, vtroque enim modo pretium ſignificatur, vel æſtimatio, vt: *dedi leporem pro denario*, vel: *dedi pro lepore denarium*. S.

Rarius tamen, *Emi leporem pro decem de-*

nariis, quam ſine præpoſitione; *emi leporem decem denariis.* P.

Ter. *Heri minas viginti pro ambobus dedi;* Horat. *dedit hic pro corpore nummos;* Virgil. *Vitamque volunt pro laude paciſci.*

Hinc illa trita: *Pro nihilo putare; pro nihilo pendere. cet.* S.

QVAM.

Terent. Adelph. *Plus quingentos colaphos infregit mihi,* i.e. plus quam; Varro Ruſt. *Non minores oportet iniri, bimas vt trimæ pariant,* i.e. quam bimas; id. *Videndum, ne ſint minores trimæ, maiores decem annorum;* Ter. Eun. *Accede ad ignem hunc, iam caleſces plus ſatis,* i.e. plus quam ſatis ſit, vt notat Quinctilian. quamuis Donato videatur pleonaſmus. id. ibid. *plus millies audiui;* Plin. L. X. *Plus vicena quina oua incubanda ſubiici vetant;* Liu. *Capta amplius duo millia hominum, minus duo millia circa muros cæsa;* Cic. pro Roſc. Comœd. *Amplius ſunt ſex menſes;* ibid. *Amplius triennium*

eſt;

eſt; Plaut. Epid. *plus iam ſum libera quinquennium.* S.

Ellipſis huius inſuper eſt poſt, *præter*, & ſequente relatiuo, Suet. in Neron. cap. 56. *Religionum vsquequaque contemtor, præter vnius Deæ Syriæ*; Varr. R. R. I. 41. *grana de fico expedit obruere, præter ſi aliter nequeas*; Flor. II. 6. *Nec præter quod in bullis auri ſibi quidquam reliquere.*

Plene Liu. I. 9. *Nulla re præterquam legibus*; Suet. in Aug. c. 45. *coercitionem in hiſtriones magiſtratibus in omni tempore & loco permiſſam ademit, præterquam ludis & ſcenae*; Terent. Andr. IV. IV. 14. *Verbum ſi mihi vnum, præterquam quod te rogo, faxis, caue.* G.

Qvam Ante.

Deeſt & *quam* poſt alia comparatiua. Virgil. *Triſtior, ac lacrymis oculis ſuffuſa*; &, *Faciam te certiorem*, ſubaudi, *quam ante eras.* Nec audiendus eſt Quinctilianus & alii, qui putant poſſe comparatiuum accipi pro, poſitiuo. Terent. *Liberius viuendi fuit poteſtas*, ſupple, *quam antea.* S.

Qvam-

pillo raro ac circa verticem nullo, hirſutus cetera; Liu. I. 35. *Virum cetera egregium ſecuta ambitio eſt*; Virgil. III. Aen. 593. *Confertum tegmen ſpinis & cætera Graius.*

Vorſtius, Cellarius, Perizonius hanc Ellipſin quaſi barbaram non admittunt, quia verbis adhæreat aduerbium, non nominibus. Liceat vero mihi triplici viciſſim contraria auctoritate perſuaſo ab horum ſententia diſcedere. Non enim Varro ſolum de L. L. VII. 23. & Liu. XXXXII. 6. Sed & Petronius Edit. Col. de A. 1694. Tom. II. p. 447. cum quarto caſu coniunctum exhibent. Quod ſi ex librariorum vitio fortasſe ſic legi dicas; probanda demum erit corruptio. Nec adeo raræ ſunt duplicis naturæ particulæ, vt vna excludat alteram, videat, qui ambigit, circiter, coram, contra; quæ ſi minus ſuffecerint; plura ſuppeditabunt Lexica.

Sed.

Horat. *Qui fit Mæcenus, vt nemo ſua ſorte contentus viuat, laudet diuerſa ſequentes?* pro: *ſed laudet*. id. *Multis ille quidem flebilis occidit; nulli flebilior,*

quam

quam tibi, Virgili. pro: *ſed nulli.* id. in arte: *Ex noto fictum carmen ſequar, vt ſibi quiuis ſperet idem, ſudet multum fruſtraque laboret* cet. pro: *ſed ſudet.* S.

Si.

Horat. *Decies centena dediſſes huic parco.* ſubaudi: *ſi dediſſes*; Cic. parad. *poſcit, dandum*; *eiicit, abeundum*; *minatur, extimeſcendum*, *i. e. ſi poſcit, ſi eiicit.* e. ſ. p. Terent. *Negat quis, nego; ait, aio*; id. Phorm. *Vnum cognoris, omnes noueris*; id. Heaut. *Rectum eſt, ego vt faciam, non vt deterream*; Horat. I. Carmin. *Sapias, vina linques, i. e. ſi ſapias.*

Catull. *Vtor tam bene, quam mihi pararim.* ſubaudi, *quam ſi*; Plaut. Pſeud. *Si mihi dare vis pecuniam, magis erit ſoluta, quam ipſi dederis*; pro: *quam ſi.* Lucret. *Scipio oſſa dedit terræ, proinde ac famul infimus eſſet.* pro: *acſi.* Sc.

Solvm.

Supplendum nonnumquam poſt, Non. Phædr.

dr. IV. F. X. 18. *Oſtendit, ſcelera non ira Deum, fatorum dicto ſed puniri tempore.*

Sic.

Horat. Epiſt. 8. *Vt matrona meretrici diſpar erit atque diſcolor, infido ſcurra diſtabit amicus, i. e. ſic infido.* id. Sat. I. *Diues vt metiretur nummos, i. e. ſic. diues, vel ita diues*; vt infra, *ita ſordidus, cet.*

Sive.

Catull. in Phaſelo: *Læua ſiue dextera,* pro: *ſiue læua ſiue dextera;* Horat. *Cantamus, vacui, ſiue quid vrimur.* id. *quo non arbiter Adriæ maior, tollere, ſeu opus eſt imperitare equis.* S.

Svb.

Quoties imperium ſ. præfecturam, in pace, in bello, in literis ſignificamus, *ſub* deſideratur. Perſ. Sat. 5. *Marco ſub iudice palles?* Mart. L. I. *Quos decet eſſe hominum tali ſub principe mores;* Propert. L. II. *Cæsare ſub magno cura ſecunda fores.* G.

No-

Notat autem hæc particula, quod Perizonius monuit, proprie tempus ipſum geſtæ rei, ſed latius ſumtum, vt non modo ipſum medium rei factæ momentum ſignificet, ſed & illud, quod cum initio & fine rei cohæret, e. gr. Nep. in Attic. XII. *Quod quidem ſub ipſa proſcriptione*, h. e. *in ipſa*; Obſequens Cap. 105. *Sub occaſu ſolis orbis clypei ſimilis ab occidente*, cet. Suet. in Ner. 5. Manifeſte notat, ſub exceſſu Tiberii idem eſſe, ac: proxime ante exceſſum; contra Florus III. 5. *Sub ipſo hoſtis receſſu*, h. e. *proxime poſt receſſum*. G.

TAM.

Addendum in protaſi periodi, ſequente *quam*. Liu. II. 26. *Non* (ſcil. tam) *facile loquor, quam quod locutus ſum, praſto*; Cic. de Diuin. I. 32. *Expoſui* (ſcil. tam) *breuiter, quam breuiſſime potui*; id. Philip. *Reliquum curſum vitæ* (ſcil. tam) *quam quidem poſſum, breuiter perſtringam*.

Con-

Confer. Virgil. Aen. VII. 717. *Tam magis illa fremens , quam magis effuſo crudeſcunt ſanguine pugnæ;* Cic. de Nat. Deor. I. 24. *Tam hercle, quam tibi illam noſtram ſoſpitam;* Iuſtin. XII. VIII. 14. *Quorum non ſtudiis deficiatur, quam annis, i. e. non tam ſtudiis cet.*

TAMEN.

Terent. Adelph. *quamquam eſt ſceleſtus, non committet hodie iterum , vt vapulet. i. e. non tamen committet, vt vapulet.* S.

Virgil. *Quod quum me ſæpe rogaret, non tulit Antigenes, & erat tum dignus amari,* pro: *& tamen erat.* Sc.

TANQVAM.

Apud Horat. & Virgil. ſæpe & elegantiſſime deeſt, *tanquam,* vel *quaſi.* Virgil. *Medias inter ædes exſultat Amazon* , pro: *quaſi Amazon, nam Camilla Volſca fuit;* Horat. Od. VII. L. I. *Sic tu ſapiens finire memento triſtitiam;* Ep. II. L. I. *Quæſi cum ſociis ſtultus cupidusque bibiſſet, i. e. tanquam ſtultus;*

eſt; Salluſt. *Ceterum ante hos, te, Iugurtha, qui ætate & ſapientia prior es*; Virgil. I. Aen. *Pygmalion ſcelere ante aſios immanior omnes*; Plaut. Epid. *Atque me minoris factum præ illo.* vbi, inquit Perizonius, per Ellipſin dici poterat: *minoris illo.*

Apulei. L. VIII. Metam. *Neque vlla caprea, neque pauens damula, neque præ ceteris feris mitior cerua, ſed aper immanis atque inuſitatus exſurgit*; ibid. *Sed vnus præ ceteris & animo fortior, & ætate iuuenior, & corpore validior, exſurgit alacer*; id. L. X. *vnus e curia ſenior præ ceteris compertæ fidei*; Soſipator Chariſ L. I. de compar. *Et confirmat, præ illo neminem eſſe doctiorem*; & infra: *Et habent alios præ ſe doctiores*; Daniel. Cap. I. *Adparuerunt vultus eorum meliores & corpulentiores præ omnibus pueris, qui veſcebantur cibo regio.* Sed quid mirum in comparatiuis deeſſe Præ, quæ etiam in poſitiuis & ſuperlatiuis deſit? Arnobius L. II. contra Gent. *Quia omni vero veriſſimum eſt, certoque certiſſimum*, ſubaudi, præ. vid. infra: quam pro.

PRO.

PRO.

Non bene pro toto libertas venditur auro; Lucilius apud Chariſium in plure, *plure foras vendunt, quod pro minore emtum*; Plaut. Aſin. *par pari datum hoſtimentum eſt, opera pro pecunia*; id. Aulul. *Pro vapalando abs te mercedem petam*; Colum. L. V. c. 1. *pro quibus nulla merces dependitur*; Virg. Aen. V. *Hanc tibi Eryx meliorem animam pro morte Daretis perſoluo*; Cæſ. I. Ciuil. *pecuniam pro iis rebus ſoluit*; Cic. IV. Fin. *æſtimatione aliqua digna, eaque pro quantum in quaque ſit ponderis, eſſe æſtimanda*; Salluſt. *Nemo niſi victor pro pace bellum mutauit*; Val. Max. L. IV. c. 6. *qui coniugis fata pro tuis permutari paſſus es*; Terent. Eun. *par pro pari referto*: Sic enim legunt peritiores; Cic. I. in Verr. *pro quo frumento pecunia omnis ſoluta non eſt*. Nec refert latinitatis vtra in parte adhibeatur præpoſitio, vtroque enim modo pretium ſignificatur, vel æſtimatio, vt: *dedi leporem pro denario*, vel: *dedi pro lepore denarium*. S.

Rarius tamen, *Emi leporem pro decem de-*

nariis, quam ſine præpoſitione; *emi leporem decem denariis.* P.

Ter. *Heri minas viginti pro ambobus dedi;* Horat. *dedit hic pro corpore nummos;* Virgil. *Vitamque volunt pro laude paciſci.*

Hinc illa trita: *Pro nihilo putare*; *pro nihilo pendere. cet.* S.

QVAM.

Terent. Adelph. *Plus quingentos colaphos infregit mihi*, i.e. plus quam; Varro Ruſt. *Non minores oportet iniri, bimas vt trimæ pariant*, i.e. quam bimas; id. *Videndum, ne ſint minores trimæ, maiores decem annorum;* Ter. Eun. *Accede ad ignem hunc, iam caleſces plus ſatis*, i.e. plus quam ſatis ſit, vt notat Quinctilian. quamuis Donato videatur pleonaſmus. id. ibid. *plus millies audiui*; Plin. L X. *Plus vicena quina oua incubanda ſubiici vetant;* Liu. *Capta amplius duo millia hominum, minus duo millia circa muros cæſa;* Cic. pro Roſc. Comœd. *Amplius ſunt ſex menſes;* ibid. *Amplius triennium eſt;*

eſt; Plaut. Epid. *plus iam ſum libera quinquennium.* S.

Ellipſis huius inſuper eſt poſt, *præter*, & ſequente relatiuo, Suet. in Neron. cap. 56. *Religionum vsquequaque contemtor, præter vnius Deæ Syriæ*; Varr. R. R. I. 41. *grana de fico expedit obruere, præter ſi aliter nequeas*; Flor. II. 6. *Nec præter quod in bullis auri ſibi quidquam reliquere.*

Plene Liu. I. 9. *Nulla re præterquam legibus;* Suet. in Aug. c. 45. *coercitionem in hiſtriones magiſtratibus in omni tempore & loco permiſſam ademit, præterquam ludis & ſcenae*; Terent. Andr. IV. IV. 14. *Verbum ſi mihi vnum, præterquam quod te rogo, faxis, caue.* G.

Qvam Ante.

Deeſt & *quam* poſt alia comparatiua. Virgil. *Triſtior, ac lacrymis oculis ſuffuſa*; &, *Faciam te certiorem*, ſubaudi, *quam ante eras.* Nec audiendus eſt Quinctilianus & alii, qui putant poſſe comparatiuum accipi pro, poſitiuo. Terent. *Liberius viuendi fuit poteſtas*, ſupple, *quam antea.* S.

Qvam-

pillo raro ac circa verticem nullo, hirſutus cetera; Liu. I. 35. *Virum cetera egregium ſecuta ambitio eſt*; Virgil. III. Aen. 593. *Confertum tegmen ſpinis & catera Graius.*

Vorſtius, Cellarius, Perizonius hanc Ellipſin quaſi barbaram non admittunt, quia verbis adhæreat aduerbium, non nominibus. Liceat vero mihi triplici viciſſim contraria auctoritate perſuaſo ab horum ſententia diſcedere. Non enim Varro ſolum de L. L. VII. 23. & Liu. XXXXII. 6. Sed & Petronius Edit. Col. de A. 1694. Tom. II. p. 442. cum quarto caſu coniunctum exhibent. Quod ſi ex librariorum vitio fortasſe ſic legi dicas; probanda demum erit corruptio. Nec adeo raræ ſunt duplicis naturæ particulæ, vt vna excludat alteram, videat, qui ambigit, circiter, coram, contra; quæ ſi minus ſuffecerint; plura ſuppeditabunt Lexica.

Sed.

Horat. *Qui fit Mæcenus, vt nemo ſua ſorte contentus viuat, laudet diuersa ſequentes?* pro: *ſed laudet.* id. *Multis ille quidem flebilis occidit; nulli flebilior, quam*

quam tibi, Virgili. pro: *ſed nulli.* id. in arte: *Ex noto fictum carmen ſequar, vt ſibi quiuis ſperet idem, ſudet multum fruſtraque laboret* cet. pro: *ſed ſudet.* S.

Si.

Horat. *Decies centena dediſſes huic parco.* ſubaudi: *ſi dediſſes*; Cic. parad. *poſcit, dandum; eiicit; abeundum; minatur, extimeſcendum,* i. e. *ſi poſcit, ſi eiicit.* e. ſ. p. Terent. *Negat quis, nego; ait, aio;* id. Phorm. *Vnum cognoris, omnes noueris*; id. Heaut. *Rectum eſt, ego vt faciam, non vt deterream*; Horat. I. Carmin. *Sapias, vina linques, i. e. ſi ſapias.*

Catull. *Vtor tam bene, quam mihi pararim.* ſubaudi, *quam ſi*; Plaut. Pſeud. *Si mihi dare vis pecuniam, magis erit ſoluta, quam ipſi dederis*; pro: *quam ſi.* Lucret. *Scipio oſſa dedit terræ, proinde ac famul infimus eſſet.* pro: *acſi.* Sc.

Solvm.

Supplendum nonnumquam poſt, Non. Phædr.

dr. IV. F. X. 18. *Oſtendit, ſcelera non ira Deum, fatorum dicto ſed puniri tempore.*

Sic.

Horat. Epiſt. 8. *Vt matrona meretrici diſpar erit atque diſcolor, infido ſcurra diſtabit amicus, i. e. ſic infido.* id. Sat. I. *Diues vt metiretur nummos, i. e. ſic diues, vel ita diues;* vt infra, *ita ſordidus, cet.*

Sive.

Catull. in Phaſelo: *Læua ſiue dextera.* pro: *ſiue læua ſiue dextera;* Horat. *Cantamus, vacui, ſiue quid vrimur.* id. *quo non arbiter Adriæ maior, tollere, ſeu opus eſt imperitare equis.* S.

Sub.

Quoties imperium ſ. præfecturam, in pace, in bello, in literis ſignificamus, *ſub* deſideratur. Perſ. Sat. 5. *Marco ſub iudice palles?* Mart. L. I. *Quos decet eſſe hominum tali ſub principe mores;* Propert. L. II. *Cæsare ſub magno cura ſecunda fores.* G.

No-

Notat autem hæc particula, quod Perizonius monuit, proprie tempus ipſum geſtæ rei, ſed latius ſumtum, vt non modo ipſum medium rei factæ momentum ſignificet, ſed & illud, quod cum initio & fine rei cohæret, e. gr. Nep in Attic. XII. *Quod quidem ſub ipſa proſcriptione*, h. e. *in ipſa*; Obſequens Cap. 105. *Sub occaſu ſolis orbis clypei ſimilis ab occidente*, cet. Suet. in Ner. 5. Manifeſte notat, ſub exceſſu Tiberii idem eſſe, ac: proxime ante exceſſum; contra Florus III. 5. *Sub ipso hoſtis receſſu*, h. e. *proxime poſt receſſum*. G.

Tam.

Addendum in protaſi periodi, ſequente *quam*. Liu. II. 26. *Non* (ſcil. tam) *facile loquor, quam quod locutus ſum, praſto*; Cic. de Diuin. I. 32. *Expoſui* (ſcil. tam) *breuiter, quam breuiſſime potui*; id. Philip. *Reliquum curſum vitæ* (ſcil. tam) *quam quidem poſſum, breuiter perſtringam*.

Con-

Confer. Virgil. Aen. VII. 717. *Iam magis illa fremens , quam magis effuſo crudeſcunt ſanguine pugnæ ;* Cic. de Nat. Deor. I. 24. *Iam hercle , quam tibi illam noſtram ſoſpitam ;* Iuſtin. XII. VIII. 14. *Quorum non ſtudiis deficiatur , quam annis , i. e. non tam ſtudiis cet.*

Tamen.

Terent. Adelph. *quamquam eſt ſceleſtus, non committet hodie iterum , vt vapulet. i. e. non tamen committet, vt vapulet.* S.

Virgil. *Quod quum me ſæpe rogaret , non tulit Antigenes , & erat tum dignus amari,* pro: *& tamen erat.* Sc.

Tanqvam.

Apud Horat. & Virgil. ſæpe & elegantiſſime deeſt, *tanquam,* vel *quaſi.* Virgil. *Medias inter ædes exſultat Amazon* , pro : *quaſi Amazon , nam Camilla Volſca fuit ;* Horat. Od. VII. L. I. *Sic tu ſapiens finire memento triſtitiam ;* Ep. II. L. I. *Quæ ſi cum ſociis ſtultus cupidusque bibiſſet , i. e. tanquam ſtultus ;*

Od. XXVI. L. I. *At tu nauta vagæ ne parcæ malignus arenæ* cet. i. e. *tanquam malignus*; Od. XIII. L. IV. *Ludisque & bibis impudens*; Ep. XV. L. I. *Quod me Lucanæ iuuenem commendet amicæ*, *i. e. tanquam iuuenem, nam ſenex erat*; L. I. Ep. II. *Viuendi qui recte prorogat horam, Ruſticus exſpectat, dum defluit amnis, i. e. tanquam ruſticus.* vid. quaſi. S.

TRANS.

Cic. pro Quinct. c. 3. *Trans Alpes vsque transferri.* Sic Accuſatiuo huius modi compoſitorum debetur particula *trans.* Cic. Attic. VIII. Ep. 12. *Tranſire flumen mare*; Nep. XXIII. III. 4. *Saltum pyrenæum tranſiit.*

VSQVE.

Deeſt, quum ſignificant tempus. Cic. de Diuin. I. 28. *Ad lucem dormitare*; Cæſ. B. G. IV. 23. *Ad horam nonam in ancoris exſpectauit*; Liu. III. 28. *Ad lucem pugnare.*

Coniunctim eſt apud Cic. de Clar. Orat. c. 13 *vsque ad hoc tempus.*

VSQVEADEO.

Omiſſum eſt in VT, quod intendendi formulis

lis inſeruit; Nep. VII. I. 2. *Fuit diſertus, vt in primis dicendo valeret*; Cic. Attic. xv. Ep. 1. *Eſt oratio ſcripta elegantiſſime ſententiis, verbis, vt nihil poſſit vltra cogitari.*

Legimus additum Nep. X. IX. 4. *Fit ſtrepitus, adeo vt audiri poſſit foris*; id. xv. III. 1. *Adeo veritatis diligens, vt ne ioco quidem mentiretur.*

VT.

Terent. Heaut. *Eius anus cauſſa, opinor, quæ erat mortua*, i. e. *vt opinor*. Cic. Tuſcal. III. 26. *Niobe fingitur lapidea propter æternum, credo, in luctu ſilentium*, pro: *vt credo*. Deeſt in illis: *Volo facias*; *nolo dicas*; *velim deſinas*; *reſcribas ad omnia rogamus*. Terent. Eunuch. *ſiue vt veniat*. Supplendum igitur in: *Siue faciat*; *ſiue veniat*.

Deeſt etiam ante NE. Horat. II. Serm. *Ne faciam, inquis, omnino verſus, i. e. vt ne faciam*. Male Adrianus Cardinalis docet, *vt ne* idem eſſe, quod *vt*. Imo ſemper in his formis: *Caue ne dicas*, *moneo*, *ne facias*, *da operam ne veniat*, deeſt, *vt*. Cic. III. in Verr. *impetrant, vt*

ne iurent; ad Quinct. Fratr. L. III. *Opera datur, vt iudicia ne fiant*; Terent. Hecyr. *Nempe ea cauſa, vt ne id fiat palam*; id. Andr. *principio vt ne ducas*. Itaque dicimus eodem ſenſu: *Caue, cadas*; *caue, ne cadas*; *caue, vt ne cadas*. S.

VTINAM.

Catull. *Tecum ludere ſic vt ipſa poſſem*, ſupple, *vtinam*; Virgil. *Troum arma ſecutum obruerent Rutuli*; Ouid. Epiſtol. *Me quoque qua fratrem mactaſſes improbe, claua*; Tibull. *Tunc mihi vita foret*. S.

Sic in *peream ſi*, *disperream niſi*, ſubauditur: *vtinam*. Sc.

VTRVM.

Eadem ratione ſuppletur, qua interrogatiuum *ne*, Cic. Verr. IV. 77. *Poſtulo mihi reſpondeas, quis ſit iſte Verrutius?* (vtrum) *In Sicilia ſit, an deceſſerit?* Plin. L. II. Ep. 8. (vtrum) *ſtudes? an piſcaris? an venaris? an ſimul omnia?*

Legi-

Legitur Cic. VII. Fam. 16. *Id utrum more Romano locutus ſit, an quomodo Stoici dicunt, poſtea videro*; Cic. in Piſon. c. 10. *Nemo poteſt dicere, vtrum iſte plus biberit, an vomuerit?* Terent. Adelph. II. I. 41. *Vide vtrum vis argentum accipere, an cauſam meditari tuam?*

Finis Ellips. Grammat.

PART. II.
De Ellipſibus Logicis.

CAP. I.
De
Ellipſibus Subiecti.

1. O*Derint, dum metuant.* Si a Caligula hoc eſſe dictum, neſcirem; certe a bacchante aliquo profectum pateret. Odium recte ſibi perſuadet; metum ſui perpetuum falſo. Mox enim ciues Romani, quibus cum ipſi res erat, aliter adfecti, ſuſtulere, quem metuebant. Quodſi ſanus fuiſſet tyrannus, cum Cicerone potius ſenſiſſet de Offic. L. II. c. VII. quem metuunt, oderunt; quem quisque odit, periiſſe expetit. Plene dicitur; *Ciues Romani oderint, dum metuant.*

Sero ſapiunt! Præmitte: *Phryges*, ex trito ſtupiditatis ſuſpectos. Neque tamen omnes, nec usque fuiſſe ſtupidos putarim. Quid alioquin de Æſopo, ſi quem fuiſſe credas, dixeris? quid de Homero, Herodoto, Dionyſio, ſapientiſſimo iſti phrygi vicinis ſentires? Ceterum Cicero L. VII. Fam. Ep. 16. in Equo Traiano,

Traiano, in extremo, hæc verba eſſe ſcribit, idque callidiſſime. Nam Deum tutelarem quaſi Græcorum rapiendo, vltimam ſibi perniciem Ilii intulerunt.

3. *Ferendum ac ſperandum!* In priori verbo habeto: *Tempus adverſum*; in poſteriori, *ſecundum ſiue melius.* Sapientiſſime hæc Macrinus. Nunquam enim eſt ea temporum ratio, vt ex voto omnibus omnia eueniant. Imperator tulit, quantæ poteſtatis vir! inſaniam ergo hominum, qui cuncta ex ſuo arbitrio geri volunt! Ferte labores, qui Muſarum limen intrare cogitatis, ferte & ſperate! dolores olim proderunt. Tulit, inquis, laudatus imperator; ſperauit & ſpe ſua cecidit. At fortiori, credo, animo occubuit, quam ſi minus tuliſſet, ſi minus ſperaſſet.

Aut miles, aut monachus, aut mendicus! integrum ſit: *adoleſcens piger aut degener erit aut miles* cet. infelix vaticinium iuueni dictum, qui malo ſuo genio indulget. Quid vero magis abhorrent, qui diſſolutis moribus ſunt, quam hæc vitæ genera? Talis fortunæ καταστροφὴ merito ſequitur otioſam ætatem. Eſt autem iſta diſiunctio a temperamentorum diuerſitate, qua infelici cholerico miles placet; ſanguineo monachus; melancholico denique mendicus.

Procul a Ioue, procul a fulmine. Vtrique membro debetur pronomen relatiuum priori; poſteriori demonſtratiuum. Iouem ſuum fulminantem credebat ſuperſtitioſa antiquitas. Sic Horat. Carm. L. III. Od. V. 1 *Cælo tonantem credidimus Iouem tonare, a quo procul ſtantem minus feriri.* Sic ingens eſt ſalutis periculum eorum, quorum amicitia vtuntur principes, vt prudentius hæc fugiatur, quam captetur.

De plano & ſimplici. *Oratio vel homo*, vel aliud quid de plano & ſimplici ſenſu ſiue genere eſſe dicitur. Alius autem eſt antiquus, alius recentior formulæ vſus. Laudis erat olim de plano & ſimplici admonere alios. Et Tiberius e plano loco aut e quæſitoris tribunali, legem & religionis & noxæ, de qua cognoſcerent, admonebat. Sed vituperio iam frequentius eſt, ſi quis homo audit de plano & ſimplici ingenio: vti & oratio & liber inconcinnus de plano & ſimplici genere habetur.

Aliis inſeruiendo conſumor. Subiectum proprium *lucerna* oculis exhibet; improprium *res alia quælibet vſu euaneſcens.* Ad bonos quosuis miniſtros recte adcommodatur, quibus aliorum ſalus curæ eſt. Idem commentarii inſtar accipio ſententiæ Paulinæ, qua vitam pro fratribus dari iubet. Nemo ſcil. ſine laborum moleſtia officia ſua peragit:

la-

labores corpus debilitant, vt ſenſim vires conſumantur.

Semper idem! Huius adagii originem Stoicorum ἀπαθεία tribuo, dum dictitarunt, *virum ſapientem ſemper eundem eſſe debere.* Sufficiat ita nobis temperaſſe, vt nullo adfectuum turbine abripiamur. Ferenda eſt hominum iniuria; facienda nulli. Sed neque philoſophus eſt ille, neque Chriſtianus, qui adfectu nullo mouetur. Medio tutiſſimus ibis.

Dum ſpiro, ſpero. *Adflictus* puta, ſiue *ægrotus* dum ſpirat, ſperat ſalutem.

Quod Cicero, paucis mutatis, ita profert Attic. IX. Ep. 10. *Ægroto dum anima eſt, ſpes eſſe dicitur.* Miſerorum naturæ, inprimis qui chronico quodam morbo laborant, Deus ſolatium hoc indidit, vt ad extremum vsque vitæ halitum meliora ſibi perſuadeant.

Vires acquirit eundo. Ouidiana locutio de fluuio, cuius L. I. Metam. meminit, ad varia inde translata. Non enim aqua ſolum, ſed vita, fama, valetudo eundo augetur.

Abiit, exceſſit, evaſit, erupit. Vox Ciceronis fugam Catilinæ e Senatu proclamantis. *Catilina exceſſit* cet. verborum copia, quæ gradatio dicitur rhetorib9, feſtinationem fugientis exprimit, cui non ſatis fuit abire, ſed exceſſit;

nec excedere ſatis fuit, ſed euaſit; nec ſatis fuit euadere, ſed erupit, metu vel ira perſequente. Ex hoc intelligitur, alterum magis primo, altero tertium & tertio porro magis quartum ſignificare. Quod de Catilina dicitur, alius etiam melioris notæ homo poteſt facere. e. g. Dauid, Ioſephus cum Chriſto puero cet.

Tolluntur in altum, vt lapſu grauiore ruant, ita Claudianus quarti ſeculi ſcriptor gentilis in Rufin. Mortales autem ſunt, vel imprudentes, de quibus canit poeta, tolluntur in altum cet.

Spectatum veniunt, veniunt ſpectentur vt ipſæ. Ouidii ſententia L. I. A. A. 99. Ex eo præmittitur, cum quibus ipſi res erat, *feminæ*. De maſculino etiam genere ita effeminati nonnulli ſunt, vt laſciuientes, vel ſuperbientes habitu ſuo ſpectatum veniant, atque pro ipſæ, ſic eſto, *ipſi*.

Veni, vidi, vici! plene: *Ego Cæſar veni* cet. Huius enim hæc verba fuiſſe Sueton. memorat in Cæſ. c. 37, proconſul tum fuit, & imperator in Gallia, ſapientia non minus quam potentia profligendi hoſtes inſtructus. Inepte nonnumquam parentatores hodie ad defunctos ſuos id referunt, qui venerunt nuſpiam, viderunt nil noui, vicerunt neminem ſe minime.

Non

Non ita complebant Ephyreæ Laidos ædes ſcil. *amatores*, vid Propert. L. II. E V. al. VI. I. quos enim magis ædes illas frequentaſſe exiſtimes? amauit Lais, amari viciſſim voluit. etſi non gratis. rariſſimus enim erat, Corinthi, qui dixerit: tanti pœnitere non emo!

Plaut. in Amph. Act. I. Sc. I. 20. *in ſeruitute expetunt multa iniqua: habendum & ferendum hoc onus cum labore.* Serui & ſeruæ expetunt iniqua, cet. de his ſermo erat Plauto. Qui ab iniquis iſtorum hominum cauere ſibi volunt, videant, ne verbis vel verberibus eos lædant, tanto magis, quo minus eorum officiis carere poſſunt.

Id. in Aulul. II II. 18. *Altera manu fert lapidem, panem oſtentat altera.* Sapientiſſime dictum in auarum ſenem, qui ne nihil dare videatur; diues eſt promiſſis, tantum autem abeſt, vt det, vt promittens inhiet potius alterius bonis: quod in elocandis filiis maxime ſolet contingere.

CAP.

CAP. II.

De Ellipſibus prædicati.

Fulgur expelui; ſcil. venit, vel oritur non nocens. Hac ratione iratus & inops potentiori vltima quæque minatur. Quare abſtinere iubemur minis inanibus, ſi quidem aliis ludibrio eſſe non volumus. In ſolatium ſuum hoc reminiſcantur, qui præter culpam terrentur ab hoſtibus, at mortalibus.

Sus Mineruam! puta vult inſtituere, erudire, vel ſimile. Vtimur hoc, ſi ineptior docet præſtantiorem. Minerua calidiſſima artium & ingeniorum magiſtra. Non aliud contra animal ſue magis eſt brutū vt protinus ſtupore ſileat, ſi forte ſurſū adſpicere cogitur.

Aſinus ad lyram, adde; ſaltat. per ironiam de homine plane inepto & ſtupido dicitur. Suauiſſimus enim ſonus non adficit auritulum, vt ſtupidus recedat magis, quam incedat. Noſtrates; Er ſtellt ſich, wie der Eſel zum Lauten ſchlagen.

Hinc illæ lacrimæ! ſcil. oriuntur ſ. naſcuntur. Terentianum eſt, Andr. I. 1. 99. quo & Horatius vtitur L. I. Ep. XIX. 41. dici ſolitum de cauſa rei occultata, ſed præter opinionem patefacta: vt de plagio literario, de verſura, de fraude cet. quibus fortunam ſibi conciliarunt homines. Interdum maleuolorum prouerbium, qui vt virtutes alio-

aliorum eleuent, iniqua ratione eos dignitatem ſuam conſecutos eſſe, facile inducuntur, vt credant.

Mali corui, malum ouum! Iudicum iſtorum ſententia de Corace quodam & Euathlo criminis ſuſpectis. vid. Sext. Empir. 2. Math. p. 387. F. 99. de genere ſuo glorian*tes* hoc ſibi dictum putent, quos Chriſtus ipſe in malorum coruorum numerum ita refert: τὸ γεγεννημένον ἐκ τῆς σαρκὸς σάρξ ἐςι. De mutatione mentis igitur potius ſint ſoliciti. altera pars: pariunt.

Vnus pro multis! ſupple: pereat: vox deſperabundi imperatoris Ottonis, qui ne ciuilis belli cauſam daret, voluntaria morte obiit. Ceterum triſte pluribus id conſilium, vt M. Curtio, egregio iuueni, qui ex traditione Liuii L. VII. c. 6. equo inſidens in voraginem Deorum iratorum ſe immiſit; Ionæ S. Vati, qui ipſemet in altum ſe præcipitari voluit, vt reliqui cum naui ſalui eſſent; quin & Chriſto, de quo, at quam innocente viro, Caiphas ſimili modo pronunciauit, & præter opinionem diuinauit feliciter. Dura profecto ſingula conſilia, addo & iniuſta, quæcunque innocentem lædunt: nullo enim vnquam exemplo oſtendi poteſt, innocentis cuiusdam periculum ſaluti publicæ profuiſſe. At Chriſti, profuit ſane, ſed licet hic in ſe ſanctiſſimus, pro innocente tamen nequaquam habetur, qui ſe omnium culpæ reum ſiſtebat. *Mul-*

Multorum manus, paucorum conſilia. deeſt: *iuuant.* Ludouici IV. imperatoris conſilium, non militari ſolum, ſed domeſticæ quoque rei conuenientiſſimum. Neque tamen vbique hoc valere, exemplo huius patet infeliciſſimi.

Aut mors aut vita decora. ſuppleo: *eligenda eſt.* Tanti Otto M. diuinam auctoritatem ſuam fecit, vt mortem mallet, quam Romanenſium poteſtati ſubiici. Num vero ſubiectus recte ſibi mortem intuliſſet? Caue credas! Hoc certe, vt cum Seneca loquar, exigitur ab homine, vt proſit hominibus. Si fieri poteſt, multis; ſi minus, paucis; ſi minus proximis; ſi minus, ſibi, forti nempe & conſtanti animo perferenti huius vitæ calamitatem, ſi quidem gloriam velit conſequi.

Poſt nubila Phœbus! Qui fortunæ viciſſitudinem, adverſæ nimirum & ſecundæ adflictis prædicunt, cælum teſtem monſtrant, quo denſiſſimis modo nubibus obducto, cito ſol ſererus effulget. plene: *poſt nubila phœbus ſolet exoriri.*

Ne ſutor vltra crepidam! Supple: iudicet. Sic temerarium ſutori iudicium Apelles exprobrat, quod huius picturam inepte culpare audebat. Tantum vero ſcioli ſibi ſumunt;

quando vel minimum ingenio ſuo tribui vident: nihil non captui ſuo ſubiectum eſſe putant.

